This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

ie. 32.20



HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

DE EUPHORIONIS CHALCIDENSIS VITA ET SCRIPTIS

DISSERUIT

ET

QUAE SUPERSUNT EIUS FRAGMENTA

COLLEGIT ET ILLUSTRAVIT

AUGUSTUS MEINEKE,

GYMNASII GEDANENSIS DIRECTOR.

GEDANI,

SUMPTIBUS J. C. ALBERTI.

MDCCCXXIII.

Ge 32.20

CHRIST. AUG. LOBECKIO

VIRO CANDIDISSIMO

HUNC LIBELLUM

D. D.

AUGUSTUS MEINEKE.

PRAEFATIO.

De Euphorione Chalcidensi quamquam multi passim vel scripsere *), vel se scripturos esse significavere **), nemo tamen inventus

*) Praeter Lil. Gyraldum Hist. Poet. Dial. 3. p. 530. Reiskium Notit. Poet. Anthol. Gr. p. 211. et Fabricium in Bibliotheca graeca, vide quos indicat Heynius Exc. III. ad Virg. Aen. II. p. 169. sqq. Alios ipse suo quemque loco commemorabo.

**) E. g. Kayser ad Philet. p. 49 et Passovius Proleg. ad Musaeum p. 58. Etiam Lobeckium de Euphorione commentandi consilium agitasse, tum ipse mihi indicavit vir praestantissimus, tum intelligi potest ex iis, quae scripsit Muellerus Ind. Lycophr. p. 142.

est, qui collectis undique veterum scriptorum de eo testimoniis, et ingenii monumentorum, quae satis multa condidit, reliquiis in unum corpus conjunctis, justam, quoad quidem hodie fieri potest, poetae imaginem adumbraret. Neque profecto indignus videri debet Euphorio, cujus memoria paullo diligentius recolatur et a diuturna hominum oblivione vindicetur. Nam si poeticam viri facultatem intuearis, non immunem eam quidem servavit a saeculi sui ad deteriora vergentis labe et contagio: sed idem tanta excelluit ingenii ubertate, tantaque industria in plurimarum diversissimarumque rerum investigatione versatus est, ut doctissimis Alexandrini aevi sive poetis sive grammaticis accenseri queat. Fragmenta autem si spectes, sunt ea numero quidem perpauca nec nisi fractae quaedam tabulae ex ingenti naufragio servatae: eadem tamen tantam rerum scitu dignissimarum copiam complectuntur, ut vel inprimis, quae di-

ligenti opera colligantur, digna censeri debeant. Itaque non ingratum fore arbitratus sum harum literarum cultoribus, si quae ipse passim inter legendos veteres scriptores de Euphorione adnotassem et ad privatos usus in adversariorum forulos retulissem, in publicam lucem prodire juberem: non quod ita me susceptam provinciam administrasse existimarem, ut nihil aliis sive addendum sive rectius constituendum reliquissem, sed quod de nonnullis certe rebus ad Chalcidensem poetam pertinentibus aliquanto rectius, quam vulgo fieri solet, judicare posse mihi viderer. Adjecturus eram, qui saepissime una cum Euphorione commemorantur, Parthenii et Alexandri Pleuronii reliquias, numero non minus quam poeticae virtutis laude insignes. Sed quum multis variisque distractus negotiis non omnia parare potuerim, quae operi rite perficiendo inserviant, horum quidem poetarum historiam alio tempore tractare consti-

Ge 32.20

CHRIST. AUG. LOBECKIO

VIRO CANDIDISSIMO

HUNC LIBELLUM

D. D.

AUGUSTUS MEINEKE.

DE
EUPHORIONIS CHALCIDENSIS
VITA ET POESI.

Patriam Euphorion habuit Chalcidem, Euboeae urbem celeberrimam, eandemque bonarum literarum laude florentissimam. Qua in re tantus est veterum, qui de Euphorione aliquid memoriae prodidere, scriptorum consensus, ut justam admirationem moveat Vetus interpres Virgilii ad Aen. III. 17. *Aenus*, inquit, *oppidum Thraciae: Euphorio, qui illuc natus dicitur, et Callimachus etiam hoc dicunt.* Sic enim e Cod. hunc locum edidit Meursius ad Hellad. p. 967.; impressi autem libri ipsa illa verba *qui illuc natus dicitur* omittunt. Interpres igitur Virgilianus, seu quisquis illius additamenti auctor habeatur, Euphorionem Aeno oriundum facit; quam controversiam non sane video qua probabili ratione componere liceat. Fieri tamen potest, ut glossa-

tor Aenum cum Aenea confuderit, errore et proclivi et multis veterum scriptorum communi v. Salmasius ad Solin. p. 114. sq. et Heynius Exc. III. ad Aen. III. p. 486. Aenea autem sita fuit in Chersonneso Chalcidica, cuius provinciae urbem primariam fuisse constat Chalcidem, Euboicae Chalcidis coloniam. Quam si Virgilianum enarratorem cum Chalcide Euboensium confudisse statuas, nihil est, quod non optime congruat, nisi quod Aenum sive potius Aeneam commemoravit, ubi ipsam Chalcidem exspectes, quod tamen in tanta istius glossatoris negligentia non mirandum est. Enimvero aliam rationem patere video. Hephaestio enim Cap. XVI. p. 105. Euphorionem quendam, Priapeiorum carminum auctorem, commemorat, a nostro poeta, ut mihi quidem videtur, diversum. Verba Grammatici haec sunt: *οἷον παρ' Εὐφορίωνι τῷ χερρονησιώτῃ.*

Οὐ βέβηλος, ὦ τελεταὶ τοῦ νέου Διονύσου,
κἀγὼ δ' ἐξ εὐεργεσίης ὠργιασμένος ἥκω,
ὁδεύων Πηλουσιακὸν κνεφαῖος παρὰ τέλμα.

Quos versus Chalcidensi poetae tribuerunt, ut alios omittam, Lil. Gyraldus Dial. III. p. 350. Meursius ad Hellad. p. 967. Vossius de Hist. graec. I. p. 86., quos mirum est non attendisse ad Hephaestionis verba *τῷ χερρονησιώτῃ*, quibus diserte illorum versuum auctor a Chalcidensi distinguitur. D'Orvillius denique Vann. crit. p. 489.

eo usque temeritatis progressus est, ut versus illos ex Euphorionis Dionyso, epico carmine, petitos esse hariolaretur. Jam quum Aenus sive potius Aenea Chersonnesi Chalcidicae oppidum fuerit, suspiceris fortasse, auctorem additamenti illius, *qui illuc natus dicitur*, non Chalcidensem Euphorionem, sed Chersonnesiotam a Servio designari, sibi persuasisse. Sed vereor, ne nimium isti anonymi glossatoris additamento tribuamus, praesertim cum ne indicaverit quidem Meursius, e cujus codicis auctoritate illud recipiendum duxerit. Caeterum Chersonnesiotae nomen vide, an obscuratum lateat apud Strabonem Lib. VIII. p. 283. *ὁ τὰ Πριάπεια ποιήσας Εὐφρόνιος Ὀρνεάτην καλεῖ τὸν θεόν* h. e. *Priapum*: quo loco sine corruptelae suspicione usi sunt Victorius V. L. XXXIV. 19. Casaubonus ad Sueton. Tib. p. 560. Jacobsius Anthol. Gr. III, 3. p. 895. Hephaestionis autem verba qui comparaverit, Euphronio forsitan Euphorionem substituendum esse conjiciat. Certe eundem ab utroque scriptore poetam laudari, veri est simillimum.

Fuit igitur Euphorio genere Chalcidensis; Attica autem civitate eum donatum fuisse, diserte testatur Helladius Chrest. p. 967. *Εὐφορίων φύσει μὲν χαλκιδεύς, θέσει δὲ Ἀθηναῖος*. Hanc enim esse potestatem vocabuli *θέσις*, intelligitur ex Epigr. inc. in Brunckii Anal. III. p. 271. ubi Meleager Gadarenus *θετὸς κώων ἀστός* vocatur. Prorsus ut Helladius Suidas de Aristarcho, *Ἀλεξ-*

ἀνδρεὺς θέσει, τῇ δὲ φύσει Σαμοθρᾷξ [1]) Vol. I. p. 321. Similiter eadem orationis forma usus est Tzetzes ad Lycophr. 580. Ἄνιόν φησιν υἱὸν Ζάρηκος οὐ φύσει ἀλλὰ θέσει h. e. *adoptione*. Cf. Diogenes Laert. IX. 25.

Patrem Euphorionis unus omnium commemoravit Suidas: *Εὐφορίων Πολυμνήστου*. Ita enim e Ms. A. dedit Kusterus pro vulgato *Πολυμνήτου*, nomine, quantum equidem memini, Graecis inaudito. Non offendit tamen Menagium ad Diogenem Laert. V. II. p. 184. Contra haud infrequens Polymnesti nomen. Pythagoreum hoc nomine commemorat Diog. Laert. VIII. 46. Majorem famam nactus est antiquissimus poeta Colophonius, de quo vide Pausaniam Lib. I. p. 35. Intpp. Hesychii Tom. II. p. 999. et Franckium in Callino p. 12. sq. *Πολυμνήστεια ἔπη* commemorantur etiam in Scholio Luciani Pseud. T. III. p. 164. turpiter illo quidem depravato, sed facili opera sanando ex Aristophanis Equ. 1281. sqq.

Aetatem ejus certissimis tenemus indiciis, si quidem Suidas eum natum dicit *ἐν τῇ ρκσ' ὀλυμπιάδι, ὅτε καὶ Πύῤῥος ἡττήθη ὑπὸ Ῥωμαίων*. Ita enim recte Suidas Kusteri, consentientibus libris

---

1) Rectius Σαμόθρᾳξ Etymol. M. p. 435. 32. *τὰ μονοσύλλαβα ἐν τῇ συνθέσει ἀναβιβάζουσι τὸν τόνον, χθὼν αὐτόχθων, Θρᾷξ Σαμόθρᾳξ*, excepto tamen *πολυπτώξ*. Vide Grammat. in Bekkeri Anecd. Gr. III. p. 1191.

manu scriptis praeter Cod. A., qui cum vulgatis habet *ἐν τῇ ρκ' ὀλυμπιάδι*, quod manifeste repugnat iis, quae deinceps addit Lexicographus *ὅτε καὶ Πύῤῥος ἡττήθη ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων*. Quamquam ne sic quidem calculi accuratissime subducti sunt. Victus enim est Pyrrhus capitali proelio a Romanorum Consule M'. Curio Dentato a. Chr. 276. h. e. Olymp. CXXV. 1. In eam autem, quam Suidas posuit, Olympiadem, et quidem in primum eius annum obitus Pyrrhi incidit.

In philosophiae studio, Suida testante, duces habuit Lacyden et Prytanidem, in poesi Archebulum. *Μαθητὴς ἐν τοῖς φιλοσόφοις Λακύδου καὶ Πρυτάνιδος, ἐν δὲ τοῖς* (Cod. Leid., cuius variantes lectiones Seidleri comitati debeo, *καὶ ἐν τοῖς*) *ποιητικοῖς Ἀρχεβούλου τοῦ Θηραίου* (Mediol. *Θυραίου*). Lacydes Cyrenaeus, Acusilai in Academia successor et novae Academiae princeps, notus est e Diogene Laert. IV. 61. Cicerone Acad. II. 6. Clemente Alex. Strom. II. p. 213. 6. Sylb. Suida s. v. *Λακύδης* Tom. II. p. 411. et s. v. *Πλάτων* Tom. III. p. 124. Obiit Olymp. CXXXIV. 4. immodicae potationi deditus, teste Diogene, quod confirmat etiam Athenaei X. p. 438. a. narratio, [2]) ubi una cum Timone commemoratur,

2) Ubi verissime Schweigh. *προκαπιόντος* dedit, quod confirmari poterat auctoritate Eustathii ad Hom. Iliad. χ'. 393. more suo Athenaeum exscribentis.

quem esse Timonem Phliasium, Sillorum auctorem nobilissimum, vix dubitari poterit, praesertim si compares Diog. Laert. IX. 110. Sed alium praeterea Lacyden, Peripateticum, commemorat Aelianus Hist. Anim. VII. 41., errore, ut equidem opinor, Aeliani. Certe eadem, quae de Peripatetico narrat Aelianus, simpliciter de Lacyde philosopho refert Athenaeus XIII. p. 610. C. quem de Academico loqui haud unam ob causam veri est simillimum. Itaque magnopere vereor, ne immerito Fabricius Bibl. Gr. Vol. III. p. 497. duos Lacydas distinxerit. Aliquanto obscurior Prytanidis est memoria. Non diversus tamen esse videtur ab eo, quem commemorat Anonymus de vita Aristotelis apud Fabr. B. G. III. p. 503., ubi inter Peripateticos numeratur, Hieronymi successor. Ipsi rursus successere Phormio et Critolaus. Nec obstant, ut vides, temporum rationes. Celeberrimis peripateticis accensetur a Polybio Lib. V. 93., ex quo discimus etiam, eum Olymp. CXL. 3., Antigono ita volente, civilium legum tabulas condidisse Megalopolitanis, id, quod Plato superiore aetate gravissimas ob causas facere recusaverat, teste Diogene Laert. III. 23. Qui praeterea Prytanidis mentionem injecerit, scio neminem, nisi Athenaeum XI. p. 447. E., ubi tamen Schweighaeuserus improspero conatu nomen ejus prorsus obliterare instituit. *Ἡγήσανδρος*, inquit, *Εὐφωρίωνά φησι τὸν ποιητὴν παρὰ πρυτάνιδι δειπνοῦντα, καὶ ἐπιδεικνυμένου τοῦ πρυτά-*

νιδος κιβώριά τινα δοκοῦντα πεποιῆσθαι πολυτελῶς, [3]) *τοῦ δὲ κώθωνος εὖ μάλα προβεβηκότος, λαβὼν ἕν τῶν κιβωρίων, ὡς ἐξοινῶν καὶ μεθύων ἐνεούρησεν.* ubi neminem adeo grammaticae rationis imperitum esse arbitror, quin utrobique *Πρυτάνιδι* et *Πρυτάνιδος* scribendum esse intelligat, ut recte habent editiones superiores. Argentoratensis autem editor se Rhodi rem actam esse suspicari dicit, cujus urbis *prytanis* abacum habuerit Aegyptiis vasis instructum. Cujus commenti non aliam causam exputo, nisi quod insolentia nominis *Πρύτανις* eum offendisse videtur. Atqui satis frequentem Graecis huius nominis usum fuisse, scire poterat ex Herodoto VIII, 131., Diodoro Sic. Vol. II. p. 422., Pausania Lib. III. p. 197. et Phlegonte Trall. in Thesauro Gron. Tom. IX. p. 1293. Denique aliud *Πρύτανις, ιδος,* aliud, *πρύτανις, εως.* Quare etiam apud Herodotum malim *Πρυτάνιδος* pro *Πρυτάνιος.*

Archebulum denique, quo in arte poetica doctore usus est Euphorio, eundem esse suspicor, a quo metrum Archebuleum dicitur, de quo vide Diomedem p. 513. aliosque apud Gaisfordium ad Hephaest. p. 279. sq. coll. Lilio Gyraldo Dial. de Poet. IX. p. 1052. De patria viri non satis constat. Thebanum vocat Hephaestio

---

3) Delevi lacunae signa a Schweighaeusero post *πολυτελῶς* posita.

VIII. p. 49., Theraeum Suidas. Veri tamen simillimum est, etiam Hephaestionem scripsisse Θηραῖον non Θηβαῖον. Quod addit Suidas οὗ καὶ ἐρώμενος λέγεται γενέσθαι non mirum videri potest in homine Chalcidensi, ἐπεὶ ἐπλεόναζον παρ' αὐτοῖς οἱ παιδικοὶ ἔρωτες, ut ait Hesychius Tom. II. p. 1538. Hinc χαλκιδίζειν, eodem Hesychio teste, idem quod παιδεραστεῖν. Sed haec uberius explicavit jam Athenaeus XIII. p. 601. E. Eodem spectat Ganymedis raptus, quem vindicasse sibi Chalcidenses docuit Ti. Hemsterhusius ad Luciani Tom. I. p. 210. in quo convenit iis cum Cretensibus, Ganymedem a Minoe raptum nuncupantibus, teste Dosiade apud Schol. Venet. ad Iliad. υ. 234. p. 457. a. Chalcidensium cantilenam ἐρωτικὴν servavit Plutarchus Amat. p. 761. A., numeris suis ita fere restituendam:

Ὦ παῖδες, οἳ χαρίτων τε καὶ πατέρων λάχετ'
ἐσθλῶν, [4])
μὴ φθονεῖθ' ὥρας ἀγαθοῖσιν ὁμιλίαν·
σὺν γὰρ ἀνδρείᾳ καὶ ὁ λυσιμελὴς Ἔρως
ἐπὶ Χαλκιδέων θάλλει πόλεσιν.

---

4) Πατέρων, *parentum*, ut in Theocriti Id. XVII, 13. ἐκ πατέρων οἷος μέν etc. quod intpp., quos mihi quidem consulere licuit, non videntur animadvertisse. Laudes Philadelphi orditur poeta a parentum commendatione. Primum patrem celebrat Lagi filium (v. 14. l. Λαγιάδας Πτολ. non Λαγίδας,

Sed hic honestior fuerit amor, non cadens ille fortasse in Euphorionem, cuius turpes et spurcos amores acerbo sale perfricuit Crates Grammaticus apud Brunck. Anal. II. p. 3.

Χοιρίλος Ἀντιμάχου πολὺ λείπεται· ἀλλ' ἐπὶ πᾶσι
χοιρίλον Εὐφορίων εἶχε διὰ στόματος.
καὶ κατάγλωττ' ἐποίει τὰ ποιήματα, καὶ τὰ φίλητρα
ἀτρεκέως ᾔδει· καὶ γὰρ Ὁμηρικὸς ἦν.

Sensum obscoeni lusus aperuere tum alii a Jacobsio laudati, tum nuper attigit doctissimus Naekius de Choerilis XII. p. 97. qui egregie disputat de verbis *τὰ φίλητρα*. Postrema explicaturus Jo. Toupius Emend. in Suid. II. p. 606. Oxon. non uti debebat Antiphanis loco apud Athen. XV. p. 681. C., cuius emendatio petenda est ex iis, quae narrat Aeschines c. Ctesiph. p. 524. Rske. Rectius Toupius usus esset copiis Menagii ad Diogen. Laert. VII. 172. coll. Jacobsio ad Anthol. Gr. Vol. VIII. p. 7. Similiter in Meriones lusit nomine omnis nequitiae interpres disertissimus Strato apud Brunck. II. p. 378.

καὶ σὺ τὰ μὲν βιότοιο πανήμερος ἔργα τελεῖς μοι,
νῦν δ' ἄγε πεινῶμεν καὶ διὰ Μηριόνην,

---

quod secundam syllabam corripit); tum v. 34. matrem Berenicen ornat. Verba *οἷα δ' ἐν κινύταισιν* opposita sunt versui 13. *οἷος μὲν ἔην.* etc. *Ἐκ πατέρων* igitur pro *πατέρων*, redundante praepositione.

sive potius, ut Hermannum aliquando conjicere memini, *νῦν δ' ἄγ' ἐπείγωμεν* h. e. *ἐπειγώμεθα*. Amores Euphorionis, quamquam honestiores illos, quam quos Crates tecto lusu significavit, certe non pathicos, tangit etiam Theodoridas apud Brunck. Anal. II. p. 43. in epigrammate postea apponendo. Nec omittendus Suidas, apud quem proxime sequuntur haec: *ἐγένετο τὴν ἰδίαν μελίχρους, πολύσαρκος, κακοσκελής, τῆς Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλεύσαντος Εὐβοίας, υἱοῦ δὲ Κρατέρου γυναικὸς Νικίας στερξάσης αὐτόν· εὔπορος δὲ σφόδρα γεγονὼς ἦλθε πρὸς Ἀντίοχον* etc. Quae verba leviter corrupta esse monere neglexit Kusterus. Post *κακοσκελής* majori signo incidendum, reliqua autem sic scribenda: *Τῆς Ἀλεξάνδρου — γυναικὸς στερξάσης αὐτόν, εὔπορος σφόδρα γεγονὼς ἦλθε π. Ἀ.* Ac deest particula *δέ* in Cod. Leidensi. Pro *Νικίας* rectius fuerit *Νικαίας*, quamquam seriores scriptores ne altera quidem forma plane abstinuerunt, ut docuit Wesseling. ad Itiner. Anton. Aug. p. 141.; nec suspectum fuit vulgatum Vossio de Histor. Graec. I. p. 86. Ad rem ipsam quod attinet, nihil ea habere videtur, quod de ejus fide dubitare nos cogat; certe temporum rationes, quamquam primo adspectu aliquantum perturbatae videri queant, non tamen ita sunt perturbatae, ut non componi posse videantur. Craterus Diodoro Sic. teste Lib. XVIII. 30. p. 281. supremum diem obiit Olymp. CXIV. 3. sive a. Chr. 321., posteaquam Philen,

Antipatri filiam, matrimonio sibi coniunxerat, quod factum esse Olymp. CXIV. 2. sive a. Chr. 320. idem Diodorus auctor est Lib. XVIII. 18, p. 272. Ex hoc matrimonio natus illi videtur Alexander, de quo nihil ab aliis traditum memini, nisi quod Suidas eum Euboeae regulum fuisse perhibet. Hunc Alexandrum si provecta demum aetate, fortasse Olymp. CXXVI. sive a. Chr. 272., cum Nicaea matrimonium iniisse ponimus, conficitur, ut Euphorio Nicaeae amoribus irretitus esse potuerit. Caeterum quae fuerit illa, quam Suidas commemorat, Nicaea, non compertum habeo, quamquam probabile est, eam affinitatis vinculo coniunctam fuisse cum inclyta Perdiccae, postea Lysimachi uxore, a qua celeberrimam Bithynorum urbem Antigoneam Nicaeae nomen traxisse constat e Strabone Lib. XII. p. 848. c. Diodoro Sic. Lib. XVIII. p. 276. et Stephano Byzant. p. 494. Pin.

Ad Suidae locum ut redeam, non omittendum est Cod. Leid. pro *μελίχρους* offerre *μελάγχρους*, tenui quidem discrimine, sed ad dignoscendos veterum colores non inutili: *μελίχροος* erat fere molliculorum color, inter *λευκόν* et *ξανθόν* medio loco positus, ut suspicari licet e Stratone apud Brunck. Anal. II. p. 360. *τοὺς λευκοὺς ἀγάπῶ, φιλέω δ' ἅμα τοὺς μελιχρώδεις καὶ ξανθούς, στέργω δ' ἔμπαλι τοὺς μέλανας.* Ibidem p. 378. *ἢν ἐσίδω τινὰ λευκόν, ἀπόλλυμαι· ἢν δὲ μελίχρουν, καίομαι· ἢν ξανθὸν δ', εὐθὺς ὅλως λέλυμαι.* Qui-

bus in locis, et ubique, ni fallor, ubi *μελίχροος* color commemoratur, corporis, non capillorum, color intelligendus est, qua in re lapsus est, ut equidem opinor, Winkelmannus Opp. Vol. IV. p. 222. Ipse ille Lucretii locus Lib. IV. 1153. *nigra μελίχροος est* etc., quo utitur vir egregius ad stabiliendam sententiam suam, contrarium docet, ut apparet etiam e Plutarcho Adul. p. 44. F. *λευκοὺς μὲν θεῶν παῖδας ἀνακαλῶν, μέλανας δὲ ἀνδρικοὺς — τὸν δὲ ὠχρόν* (qui color species est *τοῦ ξανθοῦ*, vid. Göthe zur Farbenlehre Tom. II. p. 57.) *ὑποκοριζόμενος μελίχρουν ἀσπάζεται καὶ ἀγαπᾷ*. Quae ex Platonico fonte manasse erudite docuit Boeckh. in libello de Minoe p. 14. Cum *μελίχρους* cavendum est, ne confundatur *μελιχρός*, quod accidit Gesnero Luciani verba Amor. Tom. II. p. 431. *μελιχρὸν αὔχημα Λεσβιάδων* interpretanti *flava Lesbiadum gloria*, cum debuerit *dulcissima*. Contra *μελάγχρως* color eorum erat; qui in palaestra ceromatis usu et solis calore adusti nigritiam quandam duxissent; id quod etiam artifices significare voluerunt, quum victorum in palaestra statuas ex aere ducerent. Vide Boettiger Andeut. XXI. p. 129. In Philostrati Icon. I. 4. p. 768. *μειράκιον οὐ λευκόν, οὐδ' ἐκ τροφῆς* (aut delendum *οὐδ'*, aut leg. *οὐδὲ τροφῆς* sc. *πνέον*), *ἀλλ' εὔψυχον καὶ παλαίστρας πνέον, οἷον τὸ τῶν μελιχρόων ἄνθος*, haud scio, an *μελαγχρόων* scribendum sit. Apud Suidam utrum praeferam anceps haereo, nec nostra

multum refert, ater fuerit homo an albus; πολυσαρκία tamen melius convenit μελίχρους.

Auctus opibus Euphorio, quum Nicaeae amoribus indulsisset, ad Antiochum M., Syriae regem, se contulit, καὶ προέστη ὑπ' αὐτοῦ τῆς ἐκείνου (leg. ἐκεῖσε e Cod. Leid. et Ms. A., qui addit etiam δημοσίας) βιβλιοθήκης. Sunt Suidae verba. Quo aetatis anno Antiochiae domicilium vitae posuerit, non addidit Suidas; quum autem Antiochus demum Olymp. CXXXIX. 1. sive a. Chr. 224. Syriae imperium susceperit; conficitur, Euphorionem minimum quinquagesimum aetatis annum egisse, quum ad Antiochi aulam sese conferret. Erat autem Antiochia cum aliarum rerum copia florentissima, Spanhem. ad Julian. Orat. I. p. 270., tum artium literarumque studio fervebat ita, uni prope ut cederet Alexandriae. Quem bonarum literarum amorem primus in ea urbe excitasse videtur Antiochus Soter, qui cum alios viros ingenio et doctrina insignes ad se invitaverat, tum etiam Lyconem philosophum et Aratum poetam celeberrimum. De Lycone testis est Diogenes Laert. Lib. V. p. 303. De Arato Anonymus de Vita Arati apud Petavium Uranol. p. 269. et Grammaticus Matrit. apud Ernest. ad Callim. p. 591. [5]) Nec minus artium literarum-

5) Matritensis Grammatici verba haec sunt: Δωσίθεος δὲ ὁ πολιτικὸς ἐλθεῖν φησιν αὐτὸν καὶ πρὸς Ἀντίοχον τὸν Σε-

que studia fovit Antiochus Magnus, qui praeter Euphorionem multos alios ingenio praestantes viros ad se arcessiverat, ex quibus nominasse sufficiat Simonidem Magnesium, poetam epicum [6]), Mnesiptolemum et Hegesianactem historicos. V.

λεύκου κ. τ. λ. ubi legendum suspicabar Σωσίβιος δὲ ὁ Ἐπιλυτικός sive ὁ Λυτικός, quem historiam et chronologiam ornasse constat ex iis, quae monuerunt Scaliger Thes. Temp. p. 370. et Vossius de Hist. Gr. I. p. 100. Sosibii et Dosithei nomina quam proclivi lapsu inter se permutari possint et vere permutata fuerint, satis constat.

6) Suidas: Σιμωνίδης, Μάγνης, Σιπύλου, γέγονεν ἐπὶ Ἀντιόχου τοῦ Μεγάλου κληθέντος καὶ γέγραφε τὰς Ἀντιόχου πράξεις καὶ τὴν πρὸς Γαλάτας μάχην, ὅτι μετὰ τῶν ἐλεφάντων τὴν ἵππον αὐτοῦ ἔφθειρεν. Vides quam parum haec historiae fidei congruant. Fort. scripserat, certe scribere debuit Grammaticus: γέγραφε τὰς Ἀντιόχου τοῦ πρώτου vel τοῦ Σωτῆρος πράξεις. Miror nihil mendi suspicatos esse Vossium de Hist. II. p. 470. et Harlesium ad Fabric. II. p. II. p. 148. Postrema verba ita corrigenda sunt: τὴν ἵππον αὐτῶν ἔφθειρεν' ut monuit Cuperus Observ. IV. 11. et Wernsdorf de Republ. Galat. I. 18. p. 42. Praeterea dubito an recte Harlesius l. c. priora Suidae verba interpretatus sit: *Simonides, Magnesius, Sipyli filius.* Imo conjungenda sunt verba Μάγνης Σιπύλου, ut e Magnesia ad Sipylum oriundus dicatur. Duplex enim fuit Magnesia, altera ἐπὶ Μαιανδρου, altera ὑπὸ Σιπύλῳ.

Suidas Tom. III. p. 247. Athen. IV. p. 155. B. et XV. p. 697. D.

Praefuit igitur Euphorio bibliothecae Seleucidarum liberalitate conditae: quod tamen repugnat quodammodo verbis Eudociae Viol. p. 61., ex quibus facile quis poetam nostrum non Antiochenae, sed Alexandrinae, bibliothecae praefuisse conjiciat. Sic enim illa: *Ἀπολλώνιος, μαθητὴς Καλλιμάχου, ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Εὐεργέτου διάδοχος Ἐρατοσθένους, καὶ Εὐφορίωνος, καὶ Τιμάρχου.* Si vero Suidam comparaveris Tom. I. p. 283., Eudociae locum ita fere sanandum esse intelliges: *διάδοχος Ἐρατοσθένους, καὶ σύγχρονος Εὐφορίωνος καὶ Τιμάρχου.* [7]) In Syria eum ob-

7) Timarchus ille a Suida et Eudocia commemoratus non dubito, quin idem fuerit, quem docto et operoso commentario magnum Eratosthenis poema Ἑρμῆς inscriptum illustrasse perhibet Athen. XI. p. 501. E. Nam falli puto Ruhnkenium Praef. Hesych. p. VIII. duos Timarchos ideo comminiscentem, quod non credibile sit, Grammaticum aequalis poetae opus commentariis illustrasse. Cujus argumenti levitatem, ne longe abeam, vel unum Lyncei Samii exemplum refutat, quem Menandri, cujus aequalis extitit, comoedias illustrasse docent Suidas et Athenaeus. Ac dignum fuit doctum Eratosthenis carmen, quod a docto Grammatico explicaretur. Fragmenta ejus servarunt Athen. V. p. 189. D. VII. p. 284. D. Schol. Apoll. III. 802.

iisse Suidae testimonio scimus: τελευτήσας ἐκεῖ (Cod. Leid. ἐκεῖσε) τέθαπται ἐν Ἀπαμείᾳ, ὡς δέ τινες, ἐν Ἀντιοχίᾳ. Quae postrema magnopere repugnant Epigrammati Theodoridae apud Brunck. Anal. II. p. 43.

Εὐφορίων ὁ περισσὸν ἐπιστάμενός τι ποιῆσας
Πειραϊκοῖς κεῖται τοῖςδε παρὰ σκέλεσιν.
ἀλλὰ σὺ τῷ μύστῃ δοιὴν ἢ μῆλον ἄπαρξαι
ἢ μύρτον, καὶ γὰρ ζωὸς ἐὼν ἐφίλει.

ubi Euphorionem ad Piraei brachia (haec enim sunt τὰ σκέλη, v. Meursii Lectt. Att. III. 4. et

---

Achilles Tat. in Arat. p. 153. cll. Heraclito de Alleg. p. 165. Pollux VII. 90. Stephanus Byz. s. v. Ἀκτία p. 93. Etymol. M. p. 472. 26. cll. Scholiasta Apoll. Rh. II. 43., de quo praeter Spohnium de extr. p. Odyss. p. 125. disputavit Naeke schediis crit. p. 32.; denique Plutarchus Vol. V. p. 561. ed. maj., quem locum infra attingam. Quos Stobaeus Eclog. Phys. p. 156. Heer. e Philetae Ἑρμῇ attulit versus, eos et ipsos aliquando ad Eratosthenem referendos putabam. Nunc quominus Philetae nomen retineatur non impedio, modo ne quis quod Strabo Lib. III. p. 255. Alm. servavit distichon elegiacum, ex eodem carmine, epico certe hexametrico, petitum arbitretur; quae Tyrwhiti aliorumque fuit sententia. V. Friedem. Comment. p. 720. et quae ipsi infra dicemus Not. 8.

Intpp. Frontini Lib. III. 17.) sepultum videmus. Quam controversiam Jacobsius et Schneiderus Anal. crit. p. 8. verissime ita composuerunt, ut poetae nostro cenotaphium in Piraeo exstructum fuisse dicerent.

Praeter haec nihil a quoquam scriptore commemoratum memini, ex quo aliquid lucis Euphorionis vitae rebusque affundi queat. Itaque his absolutis, ad alteram dissertationis partem accedamus, in qua ingenii, quae condidit, monumenta quorumque notitia ad memoriam nostram pervenit, enumerabo singula. Ac quoniam ille epicis potissimum carminibus famam suam fundavit, rationi consentaneum est, ut primum de his tum de caeteris viri scriptis exponamus. Utar autem tanquam fundamento, cui tota haec quaestio superstruatur, Suidae loco notissimo eodemque multis difficultatibus obscurato. *Βιβλία*, inquit, *αὐτοῦ [ἐπικὰ ταῦτα]· Ἡσίοδος· Μοψοπία ἢ Ἄτακτα· ἔχει [γὰρ] συμμιγεῖς ἱστορίας· Μοψοπία δὲ, ὅτι ἡ Ἀττικὴ τὸ πρὶν Μοψοπία ἐκαλεῖτο ἀπὸ τῆς Ὠκεανοῦ θυγατρὸς Μοψοπίας, καὶ ὁ λόγος τοῦ ποιήματος ἀποτείνεται εἰς τὴν Ἀττικὴν χιλιάδα. ἔχει δὲ ὑπόθεσιν εἰς τοὺς ἀποστερήσαντας αὐτὸν χρήματα, ἃ παρέθετο [ὡς δίκην δοῖεν κἂν εἰς μακράν]· εἶτα συνάγει διὰ χιλίων ἐτῶν χρησμοὺς ἀποτελεσθέντας. εἰσὶ δὲ βιβλία ε̄. ἐπιγράφεται δὲ ἡ πέμπτη χιλιὰς [περὶ χρησμῶν, ὡς χιλίων, ἐτῶν ἀποτελοῦνται]*. Verba uncis inclusa desunt in Cod. Leidensi. Suidae locum ita in brevius contraxit

Eudocia Viol. p. 167. *φέρεται αὐτοῦ συγγράμματα ἐπικά· Ἡσίοδος, Μοψοπία, Ἀττικὴ χιλιάς, πέμπτη χιλιάς· περὶ χρησμῶν.* In his quod primo loco commemoratur carmen *ΗΣΙΟΔΟΣ* inscriptum, quale argumentum tractaverit, cum nemo veterum excepto Suida mentionem ejus injiciat, ne divinando quidem assequi licet. Virorum doctorum hariolationes si quis cognoscere cupiat, eum ad Heynii disputationem remittimus Excurs. ad Virgil. Bucol. III. p. 199. *ΜΟΨΟΠΙΑ Η ΑΤΑΚΤΑ* varias continebant historias ex Atticarum fabularum cyclo petitas. *Ἀτάκτων* titulo nihil apud illius temporis scriptores frequentius, ut docuere Menagius ad Diogen. Laert. Tom. II. p. 196. et Valesius ad Harpocr. p. 60. cll. Wowerio Polymath. XIII. p. 110. Mopsopia antiquum Atticae nomen non ab Oceani filia, ut Suidas, sed a Mopsopo deducit Strabo Lib. IX. p. 366. et, ubi de Mopsio Thessaliae oppido agit, p. 675. *Μόψιον*, inquit, *ὠνόμασται οὐκ ἀπὸ Μόψου τοῦ Μαντοῦς τῆς Τειρεσίου ἀλλ' ἀπὸ τοῦ Λαπίθου. — ἄλλος δ' ἐστὶ Μόψοπος ἀφ' οὗ ἡ Ἀττικὴ Μοψοπία.* ubi revoca librorum lectionem *ἀπὸ Μόψου τοῦ μάντεως τοῦ Τειρεσίου*, quam in suo Strabonis exemplari reperit etiam Eustath. ad Dionys. Perieg. 423. Fragmenta hujus carminis unus servavit Choeroboscus nuperrime demum a Bekkero in lucem prolatus. Itaque mirari licet Marxium saepenumero versus ex Atactis a Grammaticis excitari scribentem ad Ephorum p. 6.

Quod autem supra significavi, miscellaneas illas historias ex Atticarum fabularum orbe petitas fuisse, feci Toupii auctoritatem sequutus Emend. in Suid. Tom. II. p. 602. Ox., recte post Ἀττικὴν majori signo incidentis, et sequens χιλιάδα mutantis in ΧΙΛΙΑΔΕΣ, quod opus, si Suidae fides habenda, in eo versabatur argumento, ut qui Euphorionem deposito defraudassent, iis ignominiae nota inureretur. Quintam autem Chiliada (nam quinque libris constitisse opus diserte testatur Suidas) περὶ χρησμῶν inscripserat; qua in re magnam difficultatem objiciunt verba δι' ἐτῶν χιλίων ἀποτελεσθέντας *oracula annorum mille eventu comprobata*, ut interpretatus est Vossius de Hist. Graec. I. p. 86. et Toupius l. l. p. 602. Ejusmodi autem oraculorum magna esse debuit paucitas; neque intelligitur, si ultimo carminis libro oracula mille annorum eventu probata collegerat, qua ratione haec res etiam reliquis libris millenarii numeri inscriptionem impertire potuerit. Itaque Heynius Exc. ad Virgil. Buc. III. p. 199. in eam concedit sententiam, ut deleta, quam in χιλιάδες mutavit Toupius, voce χιλιάδα, omnia ad Mopsopiam vel Atacta referenda censeat, quorum quintus liber Chiliadis nomen in fronte scriptum habuerit, a millenario versuum numero ductum; ἐτῶν enim mutandum esse in ἐπῶν, postrema autem verba, deletis illis ὡς χιλ. ἐτ. ἀποτελοῦνται, ita esse constituenda, ut scribatur: ἐπιγράφεται δὲ ἡ πέμπτη χιλιὰς ἢ

περὶ χρησμῶν. Haec fere Heynius, cujus disputatio, si summam rei spectes, multis magnisque laborat incommodis. Ac primum quidem illud adverti velim, nusquam hujus carminis titulum singulari numero vocari χιλιάς, sed quotiescunque ejus mentio injiciatur, sine ulla librorum varietate plurali numero dici χιλιάδες; ut miram profecto videri deberet, si ter quaterve librarii tanquam ex composito eadem ratione eodem in verbo peccassent. Tum vero quod Mopsopiam sive Atacta et Chiliada illam suam unum idemque opus fuisse suspicatur Heynius, id ejusmodi est, ut, si vera sunt, quae Suidas de argumento carminis tradit, non intelligas profecto, quo consilio poeta Mopsopiae titulum adsciverit. Denique, ut mittam, non perspici ex Heynii ratione posse, unde illud χιλιάδα in Suidae verba irrepserit, quis credat Suidam, si postremum Mopsopiae librum *Chilias* inscriptum fuisse docere voluisset, tam ambigue locuturum fuisse ἐπιγράφεται δὲ ἡ πέμπτη χιλιάς, pro quo haud dubie τὸ πέμπτον scripsisset, praesertim quum proxime antecedant verba εἰσὶ δὲ βιβλία ϛ. Illud vero rectissime ab Heynio factum judico, quod postremis verbis ὡς χίλ. ἐτ. ἀποτελοῦνται, quae desunt etiam Cod. Leid., litura sanatis, ἐτῶν mutavit in ἐπῶν. Itaque, ut nunc res est, non video, quid relinquatur: nisi ut Chiliades, quinque librorum opus, a millenario versuum numero, quo singuli libri absoluti fuerunt, nomen traxis-

se dicamus, Suidam autem, cum non nisi quintum operis librum mille versibus constitisse innuit (neque enim diserte affirmat), minus accurate loquutum esse statuamus. Argumentum autem, ut jam supra vidimus, poeta ab eorum duxerat perfidia, quibus opes suas custodiendas tradiderat. Qua tamen in re versatus esse videtur liberius atque ita, ut ad alias sive historias sive fabulas exspatiaretur latissime. Denique oraculum quoddam commemorasse videtur, quo impostores aliquando perfidiae poenas daturos esse doceret. Hinc quinto libro, ut oraculo illi fidem conciliaret, ea deorum responsa, quae eventum habuissent, collegerat. Haec si probabiliter disputata sunt, magna suboritur dubitatio, an recte Toupius incerti poetae versus apud Plutarch. de S. N. V. p. 557. D. ad Euphorionis Chiliades retulerit. Toupius tamen persuasit Wyttenbachio atque ipsi adeo Valckenario. Itaque versus illos, praesertim cum sint elegantissimi, hoc loco apponam:

Αἳ καὶ ἀναμπέχονοι γυμνοῖς ποσὶν, ἠΰτε δοῦλαι,
ἠοῖαι σαίρεσκον Ἀθηναίης περὶ βωμὸν
νόσφιν κρηδέμνοιο, καὶ εἰ βαρὺ γῆρας ἵκοιτο.

Virgines dicit Locrenses, quas Locri ad piandum Ajacis scelus Minervae Iliensi per mille annorum decursum consecrare oraculo jussi sunt. Rem in *Αἰτίοις* tractaverat Callimachus. Vide Fragm. VI. p. 419. Ern., unde facile videbis,

delendum esse Fragm. CCCCVI. p. 564. Aliorum testimonia indicavere Valesius ad Harpocr. p. 134. Meursius ad Lycophr 1153. et prae caeteris Müllerus Hist. Graec. Civit. T. I. p. 167., qui et ipse versus illos Euphorioni tribuit, quod recte factum esse negabo, dum quis Toupianae rationis veritatem firmioribus argumentis adstruxerit.

Sed age reliqua Euphorionis carmina recenseamus a Suida, quod mirere, silentio praetermissa: in quo, quum literarum ordinem sequi placeat, primo loco commemorandus est *ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ*, cujus scripti quamquam ne unus quidem versus ad nostram memoriam transmissus sit, neminem tamen, si reliquorum carminum titulos consideraverit, dubitaturum confido, quin epicis poetae nostri carminibus accenseri debeat. De argumento scripti nihil compertum habeo, quum ne hoc quidem constet, quem fuisse dicamus Alexandrum illum, cujus nomine carmen suum insignivit poeta. Alexandrum Macedonem quo minus poematis argumentum fuisse existimem, plura sunt, quae impediunt. Rectius, ni fallor, scripti elogium ab amico aliquo vel familiari Euphorionis, cui Alexandro nomen inditum fuerit, ductum putabimus. Ex eodem genere fuerunt opinor Apollodorus, Artemidorus, Demosthenes, fortasse etiam Polychares, de quibus suo loco dicetur. Ita Parthenius scripserat Crinagóram, ut constat ex Etym. M. p. 148. 33., cujus tituli rationem non expedire potuit Jacob-

sius ad Anthol. Gr. III. 3. p. 878. Mihi non dubitari posse videtur, quin intelligi debeat idem ille, quem omnes novimus, poeta Crinagoras, cui carmen aliquod suum dedicaverit Parthenius. Ex eodem genere fuisse suspicor Antipatrum Antigoni apud Athenaeum III. p. 82. B., Hermeam Philetae apud Strabon. III. p. 255. Alm., ubi male legitur *Φιλητᾶς ἐν Ἑρμηνείᾳ* [8]), et alia aliorum. Alexandros autem, quorum uni Euphorio carmen suum inscribere potuit, novimus plures. Prae reliquis tamen commemorandus videtur is, quem Asclepiadis, Tragilensis opinor, filium nuncupat Stephanus Byz. p. 381., ubi *γραμματικὸς* dicitur *πολυμαθέστατος, ὃς παντοδαπῆς ὕλης τεσσαράκοντα δύο ἔγραψε λόγους*. Eundem poesios studiosissimum fuisse alio loco docebo. Huic igitur si Euphorionem carminum suorum aliquod inscripsisse statuas, nihil certe feceris, quod temporum rationi repugnet. Sequitur *ΑΝΙΟΣ*, cujus poematis argumentum ex interiore Graecanicarum fabularum orbe petitum fuit.

---

8) Parthen. Erot. II. p. 6. *περὶ πολυμήλης, ἱστορεῖ Φιλητᾶς Ἑρμᾷ*. Hic quoque legam *Ἑρμείᾳ* non *Ἑρμῇ*, multo minus, quod Ruhnkenius voluit, *Φιλητᾶς καὶ Ἑρμησιάναξ*. Apud Strabonem quod editur *Ἑρμηνείᾳ*, iisdem plane rationibus, quas Casaubonus protulit, tuetur Wowerius Polymath. XIII. p. 108. Nostra ratio, dubitanter illa proposita, an magis probanda sit, alii dijudicent.

De Ania, Delii Apollinis filio et sacerdote, vaticinandi artis peritissimo, Clem. Alex. Strom. I. p. 144. Sylb. et Servius ad Virgil. Aen. III. 82., post mortem divinis honoribus culto, Clemens Alex. Protr. p. 12. 16., [9]) multa et varia apud Graecos ferebantur, quae largam docto et recondita captanti poetae materiam praebere potuerunt. Quibus, ut natales ejus ab aliis aliter narratos omittam, adnumero fabulas de uxore ejus Dorippe, Etym. M. p. 293. 56. et Eudoc. Viol. p. 127. [10]), de filiabus Oenotropis, Oenone,

---

9) ἔστι μὲν ἐφευρεῖν καὶ ἀναφωνδὸν οὕτω κατὰ πόλεις δαίμονας ἐπιχωρίους, τιμὴν ἐπιδεπομένους, παρὰ Κυθνίοις μὲν Ἐδήμου (Μενέδημον), παρὰ Τηνίοις Καλλισταγόραν, παρὰ δ' Ηλείοις Ἀνίον. Correxeram παρὰ Δηλίοις Ἄνιον, cum idem apud Sylb. reperi. Vulgatum illud, a Meursio Misc. Lacon. Thes. Gron. Vol. V. p. 2307. A. non suspectum, imposuit quibusdam Lexicorum mythol. compilatoribus, ut Anium *Eliensium genium* comminiscerentur. In accentu nominis saepenumero peccari videas. Ἄνιος non Ἀνίος scribendum esse diserte praecipiunt veteres magistri. V. Etymol. M. p. 521. 10. et Schol. Venet. ad Boeot. 2. p. 74.

10) Eudociae verba haec sunt: Δωρίππη ἡ μήτης τῶν Οἰνοτρόπων καὶ Οἰνείου γυνή. ὠνόμαστται δέ etc. Legendum Ἀνίου γυνή. Idem nomen in Ἀνάνιας corruptum legitur apud Steph. Byz. s. v. Ἄνδρος. p. 82. et in Aeneae nomen abiit ibid. s. v. Μύκονος p. 475. Pin. sed hoc correxit haud dubie Berkelius.

Sperthoñe, Elaide, in columbas mutatis, Simonides ἐν ταῖς κατευχαῖς apud Schol. min. ad Odyss. ζ. 164. Tzetzes ad Lycophr. 570. 583. Ovidius Metam. XIII. p. 640. sqq., quae latuerunt Pinedum ad Steph. Byz. p. 82. de Graecorum hospitio, Heynius Exc. ad Virg. Aen. III. p. 470., denique de Thaso, Agenoris filio, a canibus laniato, Schol. ad Ovidii Ibin. 480 [11]). Haec igitur et alia fortasse plura hoc carmine persequutus esse videtur Euphorio, qui ut in aliis Cypriorum auctorem, v. Tzetzes l. c., et Simonidem sequutus fuerit, ita in aliis fingendis suo ipsius ingenio obtemperasse censendus est.

Aliquanto majores difficultates de argumentis carminum Euphorionis quaerenti objiciunt *ΑΝΤΙΓΡΑΦΑΙ ΠΡΟΣ ΘΕΩΡΙΔΑΝ* ab uno Clemente laudatae, de quibus nihil, quod certum sit, excogitare potui. Quamquam ex ipso scripti titulo intelligitur, impugnasse poetam hoc carmine sententias quasdam a Theorida, quicunque is fuerit, in medium prolatas. Ita novimus Istri

11) *Sacerdos Apollinis Delii Anius fuit, ad quem quum venisset per noctem Thasus, a canibus laniatus est: unde nullus canis Delon accedit.* Ubi Thasum significari puto Agenoris filium, missum a patre, qui Europam quaereret. V. Pausanias Lib. V. p. 545. Postrema Scholii verba optime Strabo illustrat Lib. X. 5. οὐκ ἔξεστι δὲ οὐδὲ κύνα ἐν Δήλῳ τρέφειν.

historici *ἀντιγραφὰς πρὸς Τίμαιον* apud Athen. VI. p. 272. B. et Polemonis *ἀντιγραφὰς πρὸς Νέανθην* ibid. XIII. p. 602. F., cujus scripti quae ratio fuerit suspicari licet e Stephano Byz. p. 584. s. v. *Κράστος*. De Theorida autem, contra quem scripsit hoc carmen Euphorio, nihil compertum habeo; quamquam nomen ipsum a Graecorum usu non alienum fuisse e Pausania perspicitur Lib. X. 20.. ubi Boeotarchum habes *Θεωρίδαν*, qui Lib. VII. 14. p. 556. male vocatur *Θερίδας* cf. Polybius Lib. XXXII. 17. et XXXVIII. 2. Nihilominus verum vidisse puto Meursium ad Hellad. p. 697. et Schneiderum Anal. crit. p. 7. pro *Theorida* apud Clementem *Theodoridae* nomen reponentes. Fuit autem Theodoridas patria Syracusanus, idem procul dubio, qui Euphorionem sepulcrali carmine ornavit, et cujus XVIII. epigrammata leguntur in Anal. Brunck. II. p. 41. sqq.; vide Schneiderum l. c. et Jacobsium Anth. Gr. III. 3. p. 959. Ex aliis ejus carminibus fragmenta nonnulla servavit Athenaeus, cujus loca opposuit Jacobsius, ut e Lib. III. p. 502. C.

Θύννοί τε δὴ οἰστρήσοντί Γαδείρων δρόμον,

ubi *δή* cum sequente diphthongo coalescit. Aliter Jacobsius. E Centauro, carmine dithyrambico, versum attulit Athenaeus XV. p. 699. F., cujus priorem partem habemus etiam apud Eustathium ad Odyss. *η'*. p. 1571. 15.:

Πίσσα δ' ὑπὸ γραβίων ἔσταζεν οἷα λαμπάδων.

Sic enim legendum videtur pro edito *οἷον ἀπὸ λαμπάδων*. Versus est jambelegus. Cetera, quae de Theodorida moniturus eram, occupavit Jacobsius, nisi quod Eustathium neglexit ad Odyss. *γ*. p. 1476. 39. glossematicam vocem *δαμνίον* e Theodorida et Nicandro proferentem, et Stephanum Byz. p. 361. s. v. *Κάρυστος*. Proximo loco post *ἀντιγραφάς* sequitur *ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ*, de quo scripto vix dici potest. quam varias et ineptas viri docti sententias in medium attulerint. Barthius quidem ad Statii Theb. I. p. 28. eo usque *ἀκριβείας* processsit, ut Euphorionem hoc libro Apollodori mythographi Bibliothecam, quam omnes hodie in manibus habemus, in compendium redegisse sibi persuaderet, in quo enormi errore refutando plus operae, quam necessarium erat, consumsit Reinesius Epist. ad Daum. LXXXV. p. 215. Comoediam fuisse putabat Fabricius Bibl. Gr. Vol. II. p. 304., cui affinis est Muelleri sententia ad Schol. Lycophr. 513. Apollodorum dramatibus accensentis. A Barthii opinione non multum discrepant Harlesius ad Fabric. B. G. Vol. V. p. 594. et Heynius ad Apollod. Tom. II. p. 459. simile scriptum designari putantes, quale Apollodori Atheniensis fuerit super Epicharmo, et alia aliorum haud dissimilia. Quanto his rectius Galeus, qui Apollodorum partem *τῶν Ἀτάκτων* fuisse suspicatur ad Parthenii Erot. 28. p. 64. Quod quamquam probari nullo modo potest, ostendit tamen, eum

naturam hujus scripti melius, quam ceteros omnes perspexisse. Fuit procul dubio Apollodorus epicum sive malis hexametricum carmen, Apollodoro cuidam dedicatum, cujus argumentum fuit haud dubie maximam partem fabulosum; certe Clitae et Cyzici fabulam in eo locum habuisse, docent fragmenta. Similis, ut suspicari licet, *ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ* ratio fuit, ab uno Stephano Byzantino laudati. Fabricii conjectura pro *Ἀρτεμιδώρῳ* scriptum fuisse suspicantis *Ἀρτέμιδος ὕμνῳ* nihil habet, quo commendetur. V. Bibl. Gr. IV. p. 651. ed. pr. Minori periculo de argumento carminis *ΑΡΑΙ Η ΠΟΤΗΡΙΟΚΛΕΠΤΗΣ* inscripti pronunciare licet. Memoriam ejus servavit Stephanus Byzantinus, et, qui eundem versum ex eo protulit, Schol. Theocriti Id. II. 2., ubi vulgo legitur *Ποτηριογλύπτης*, quod in causa fuit, ut scriptoribus de arte statuaria adnumeraretur Euphorion a Junio de Pict. vet. I, 3., quem sequutus est Fabricius Bibl. Gr. Vol. IV. p. 249. ed. Harl. Atqui corrigendum est *Ποτηριοκλέπτῃ*, ut dudum monuit Meursius ad Hellad. Chrest. p. 967. Errat, qui utrumque recte habere credit, Casaubonus Lectt. Theocr. III. p. 245. ed. Commel. Ipse titulus carminis docere eum potuit, Euphorionem in illo carmine diris devovisse nescio quem, qui poculum ei surripuerat. Qua in re non dubito, quin similem rationem inierit poeta, quam in Ibide sequutus est Callimachus. Utriusque fortasse vestigia pres-

serunt Ovidius in Ibide, et Cato atque Virgilius in Diris. Multo diversum argumentum in Ἀραῖς tractaverat Moero. Vide Parthenii Erot. p. 62. Sequitur ΔΗΜΟΣΘΕΝΗΣ, cujus notitiam uni debemus Choerobosci loco, nuper demum Bekkeri opera in lucem prolato. Tituli rationem quo modo expediendam censeam, ex iis, quae supra dixi, satis intelligitur. Demosthenes, cujus nomini carmen illud inscripsit poeta, fortasse non diversus fuit a Demosthene Bithyno, quem Euphorionis fere aetate vixisse, plura sunt, quae fidem faciant. Auctor fuit operosi carminis, quod in enarrandis Bithyniae rebus versabatur. Ejus decimum librum ad partes vocat Stephanus Byz. s. v. Μαύσ. p. 449. Pluribus an libris constiterit incertum est, quandoquidem apud eundem Steph. p. 134., ubi longior carminis locus servatus est, pro ἐν τῷ ῖδ βιβλίῳ corrigendum est ἐν τῷ δ̄ βιβλίῳ. Etymol. enim Magn. p. 437. diserte citat ἐν τῷ τετάρτῳ. In ipsis versibus ibidem allatis vera lectio videtur haec: ἔνθα θοὰς νηῦς ἤγον (Steph. Byz. ἔνθα τε νῆας ἀνῆγον) — κακῷ δ' ἐνέκυρσαν ἑτοίμῳ. In ΔΙΟΝΗΣΩΙ videtur Euphorio universum Bacchicarum fabularum orbem complexus esse, quo magis jactura, quam in eo fecimus, dolenda est. Nonnum permulta ex hoc fonte in vastum suum Dionysiacorum opus derivasse, haud temere opinor suspicari liceret, si vel maxime certissimis rei documentis careremus. ΕΠΙΚΗΛΕΙΟΝ ΕΙΣ ΠΡΩ-

ΤΑΓΟΡΑΝ an epicis Euphorionis carminibus accenseam, anceps haereo, cum etiam ex elegico genere fuisse potuerit. Unus ejus notitiam, eamque tenuissimam, servavit Diogenes Laertius, docens ille Protagoram, cujus memoriae hoc carmen consecraverat Euphorio, fuisse astrologum. Prorsus incerti haeremus de argumento carminis *ΓΕΡΑΝΟΣ* inscripti. Varios vocabuli γέρανος significatus exposuit Spohnius de extrema parte Odyss. p. 161., in quibus tamen nihil invenio, ex quo Euphorionei carminis inscriptio probabiliter explicari possit; nisi forte eam vocis vim huc trahendam existimes, qua γέρανος saltationis genus quoddam significat. V. Intpp. Luciani de Saltat. Vol. II. p. 288. et Merrik ad Thryphiod. p. 316. Wern. Quamquam videndum est, ne magis poetae nostri ingenio consentaneum sit, si fabulam de Gerana, muliere apud Pygmaeos formosissima, sed propter morum insolentiam in gruem mutata, in illo carmine tractatam fuisse, ponamus. V. Athen. IX. p. 393. e. Ceterum minime silentio premendum, fuisse inter veteres qui de auctore Gerani dubitarent, aliis Archytae, aliis Euphorioni hoc carmen vindicantibus. Testis est Athenaeus loco infra adscribendo, ubi Schweighaeuserus Archytam intelligit Amphissensem, quem aequalem fuisse Euphorionis ex hoc ipso conjicio, quod dubitavere veteres, utri eorum Geranus tribuendus esset, quod in scriptoribus aetate diversis fieri non potuisset. Con-

firmat nostram de Archytae aetate suspicionem Plutarchus Fragm. Vol. V. p. 561. Wytt. ed. maj. ubi ita cum Eratosthene conjungitur, ut facile eum hujus aequalem fuisse conjicias. Ἀρχύτας, inquit, ἀναγνοὺς τὸν Ἐρατοσθένους Ἑρμῆν (de quo supra dixi), τοῦτον ἐπήνεγκε τὸν στίχον·

Χρειὼ πάντ' ἐδίδαξε, τί δ' οὐ χρειώ κεν ἀνεύροι;

καὶ τοῦτον·

Ὀρθοῦσιν καὶ μᾶλλον ἐπωδίνουσι μέλισσαι.

Quorum versuum priorem, omisso auctoris nomine, habet etiam Stobaeus Serm. LVIII. p. 380. Alium ejusdem poetae versum servavit Plutarch. Quaest. Graec. p. 294. F.

Τὴν βοτρυοστέφανον μυρίπνουν μακύναν (?) ἐραννήν.

Proximum locum *ΙΠΠΟΜΕΔΟΝΤΙ* tribuimus, quo nomine apud veteres complures ferebantur heroes, in quibus prae reliquis eminuit, qui in septem contra Thebas ducibus commemoratur, de quo exquisita quaedam notavit Valckenarius ad Euripidis Phoen. 425. Probabile est, hunc ipsum Euphorioni carminis scribendi occasionem praebuisse: quamquam in tanto nostri poetae remotissima quaeque captandi studio nihil impedit, quo minus alium Hippomedonta illius carminis argumentum fuisse credamus, veluti Epidaurium illum, de quo vide, quae narrat Ptolemaeus He-

phaestio apud Photium Bibl. CXC. p. 492. *ΥΑΚΙΝΘΟΝ*, cujus fabulam etiam Nicandrum et Bionem peculiari carmine exposuisse constat e Schol. ad Ther. 585 et Stobaeo Ecl. Tom. I. p. 170. Heer., verbo tetigisse sufficiat. In *ΘΡΑΚΙ* poetam inter alia de Amphiarao. de Harpalyce et de Apriate egisse, e fragmentis perspicitur; inscriptioni quid occasionem praebuerit, frustra quaerere allaboravi. *Ἀτάκτων* partem fuisse nescio quibus rationibus commotus statuerit Galeus ad Parthen. p. 61. Nec melius successit conatus in *ΞΕΝΙΟΥ* titulo expediendo, quamquam non male opinor poematium intelligas hospitalis munusculi loco amicorum alicui transmissum. Epicis an elegicis carminibus adnumerandum sit, cum ne unum quidem versum ejus superstitem habeamus, ut incompertum in medio relinquam. Idem de eo carmine, quod *ΠΟΛΥΧΑΡΟΥΣ* nomini inscripsit, dictum velim. Denique de *ΦΙΛΟΚΤΗΤΟΥ* argumento, universam, ut videtur, Poeantii herois fabulam complexo, nulla esse potest dubitatio.

Haec fere habui, quae de iis Chalcidensis poetae carminibus, quae brevitatis causa *epica* appellare placuit, in universum dicerem. Quibus an liber de re rustica, a Columella Lib. I. 1. et Varrone Lib. I. 1. laudatus accensendus sit, cum ne unum quidem fragmentum ejus ad nostram memoriam pervenerit, dijudicari hodie non potest. Nec de titulo libri constat. *ΓΕΩΡΓΙ-*

ΚΑ appellavit Meursius ad Hellad. p. 967.; fortasse recte. Ceterum Vossius de Hist. Graec. p. 107., hujus scripti auctorem a Chalcidensi poeta diversum fuisse suspicatus est; quod quibus rationibus inductus statuerit, non indicandum putavit. Argumentum certe ab illius aevi poetis non alienum fuisse, docet Nicandri exemplum.

Susceptae materiae ordo ad elegica Euphorionis carmina me ducit.

Heynium enim Exc. ad Virg. p. 201. quid moverit, ut poetam nostrum in amatorio poesios genere elaborasse negaret, non perspicio. Diomedes certe Lib. III. p. 482. 5. inter eos elegorum scriptores, quos Propertius, Tibullus et Gallus imitati sint, Euphorionem commemorare non dubitavit. Nec minus diserte Probus ad Virg. Ecl. X. 50. *Euphorion*, inquit, *elegiarum scriptor Chalcidensis fuit, cujus in scribendo colorem sequutus videtur Cornelius Gallus.* Elegos Euphorionis argumenti fuisse mollioris et ad effeminandos animos compositi, subindicat Ciceronis locus Tuscul. III. 19., ubi postquam Ennii versus, plenos illos magnificentiae et gravitate insignes, apposuit, *O poetam egregium*, inquit, *quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur.* Scilicet jam tum gliscebat apud Romanos, quae postea latius serpebat, invidia, qua antiquos poetas, Ennium, Pacuvium, alios, deprimebant et prae novitiis poetillis, molli teneroque sermone laudem quaerentibus aspernabantur.

Cantores autem Euphorionis non eos dici a Cicerone crediderim, qui graeca ejus carmina cantarent, quae Salmasii ad Solin. p. 601. C. et Casauboni ad Suet. Tiber. Cap. 70. sententia fuit, sed eos, qui Euphorionis elegos, (de his enim intelligenda esse Ciceronis verba apertum est) vel in latinum sermonem converterent, vel imitatione exprimerent, id quod postea Gallum fecisse ex Diomede et Probo docuimus.

Epigrammatum, quae scripserat Euphorio, duo supersunt infra apponenda. Probabile est, fuisse plura, argumenti procul dubio magna ex parte amatorii, ut ex Meleagro conjicias, qui quum Euphorionis *lychnidas* Coronae suae se intexuisse testatur Carm. I. 23., videndum est, ne consulto huic florum generi poetae nostri epigrammata comparaverit. Lychnidem enim amatorium florem a veteribus habitam fuisse, ex eo colligas, quod fuerunt, qui eam ex aqua natam dicerent, in qua Venus, postquam cum Vulcano concubuisset, corpus lavaverat. Testis est Amerias apud Athen. XV. p. 681. F., optimam ille lychnidem gigni dicens in Cypro, Eryce, Cytheris, Lemno et Strongyle, locis, ut vides, Veneris atque Vulcani cultu nobilitatis.

Vidimus poetam nostrum non epicae tantum poesios, verum etiam elegici et epigrammatici generis fuisse studiosissimum. Quaeritur an dramaticae quoque poesi operam navaverit. Navavit vero, si audias Ernestum Clavi Cicer. s. v.

Euphorio, et Muellerum ad Schol. Tzetzae p. 651., qui eum tragici poetae nomine condecorarunt. Quod quibus argumentis inducti fecerint, quaerere non vacat; sed credo nullis. At comicis poetis annumeratur a Fabricio B. G. II. p. 504., qui duas eum Comoedias edidisse refert, *Ἀπολλοδώρου* alteram, alteram *Ἀποδιδούσης* nomine inscriptam. Atqui Apollodorum ex epico genere fuisse, supra docuimus. Una igitur restat *Ἀποδιδοῦσα*, quam ad partes vocat Athenaeus Lib. XI. p.503. *Ἡρακλέων φησι — τοὺς Ἀττικοὺς καὶ κωμῳδεῖν τὸν ψυγέα, ὡς ξενικὸν ὄνομα. Εὐφορίων ἐν Ἀποδιδούσῃ·*

A. *Ἐπὰν δὲ καλέσῃ ψυγέα τὴν ψυκτηρίαν,*
τὸ σευτλίον δὲ τεῦτλα, φακέα τὴν φακῆν,
τί δεῖ ποιεῖν; σὺ γὰρ εἰπόν. B. *ὥσπερ χρυσίον,*
φωνῆς ἀπότισον, Πυργόθεμι, καταλλαγήν.

Addidi personarum signa, assumta Schweighaeuseri conjectura *σὺ γὰρ εἰπόν* pro edito *εὖ γὰρ εἶπον*. Nisi forte malis *τί δεῖ ποιεῖν γάρ; εἰπόν*. Sed idem male inverso verborum ordine scribendum conjecit *τὸ τευτλίον δὲ σεῦτλα*. Verum hanc quoque Comoediam Euphorioni eripiamus. *Euphorioni* enim *Euphronis*, notissimi Comici, nomen substituendum est: quamvis nihil mendi in Athenaei verbis suspicati sunt Meursius ad Hellad. p. 967. Pierson ad Moer. p. 192. et Porson. ad Eu-

ripid. Hecub. 876. Aliam rationem a Vossio Hist. Graec. I. p. 87. initam video, quippe qui *Ἀποδιδοῦσαν* non Chalcidensi Euphorioni, sed Aeschyli filio tribuerit. At is tragicus poeta fuit, non comicus.

His explanatis superest, ut de historicis, grammaticis aliisque poetae nostri operibus breviter exponamus. In his primum locum occupant *ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ ΙΣΤΟΡΙΚΑ*, quod opus miscellaneam doctrinam complexum et prosa oratione conscriptum fuisse, e fragmentis, quae supersunt, tam liquido perspicitur, ut Vossii opinionem Hist. Graec. I. p. 87., qua hos commentarios ab *Ἀτάκτοις* non diversos fuisse statuit, verbo tetigisse sufficiat. In eodem opere Euphorionem de Albanis regibus exposuisse crederem, si verum esset, quod ex Eusebio ad Olymp. VII. narrat Wachsmuth in libro: *Ueber die aeltere Geschichte Roms* p. 106. „Eusebius „sagt: der Grammatiker Apollodorus und der „Dichter Euphorion von Chalcis haetten viel „Zeit darauf verwandt, die Regierungszeit der „albanischen Koenige zu bestimmen.“ Atqui apud Eusebium nihil horum omnium reperio. Itaque vereor, ne V. C. alio Eusebii, sive potius Hieronymi loco deceptus in mirum illum errorem inciderit: *Agrippa apud Latinos regnante, Homerus poeta in Graecia claruit, ut testatur Apollodorus Grammaticus et Euphorbius Historicus.* Ita scriptus legitur hic locus ad a. 1100.

p. 106. ed. Scal., qui recte monet, pro Euphorbio Ephori nomen restituendum esse.

Historicis item operibus adnumero librum *ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΑΛΕΥΑΔΩΝ* a Clemente Alexandrino et Scholiasta Theocriti laudatum, quorum verba in fragmentis apposui. Sed ecce Suidas eundem librum Ephoro juniori tribuit, scriptori alias a nemine veterum commemorato: *Ἔφορος. ἱστορικός, ὁ νεώτερος. ἔγραψε δὲ τὰς Γαλιηνοῦ πράξεις ἐν βιβλίου κζ'. Κορινθιακὰ. περὶ τῶν Ἀλευαδῶν.* ubi illud sane quam mirum videri debet, quod tertii vel quarti post Christum saeculi scriptor in tali argumento versatus esse dicitur, quod ab illius aetatis ingenio maxime alienum putandum est. Itaque in eam incidi suspicionem, ut Suidam, aut suo ipsius aut aliorum errore deceptum, Ephoro tribuisse censerem, quae rectius Euphorioni tribuisset. Ephori nomen cum saepenumero in Euphorum depravatum sit, hoc ipsum rursus quam proclivi errore cum Euphorione permutari potuerit, in promptu est. Nec minorem dubitationem alterum opus Ephoro juniori tributum *Κορινθιακά* injicit, quod ipsum quoque, si quis, eodem argumento ductus, Euphorioni vindicare voluerit, ego certe non repugnabo; nisi forte utriusque scripti celebrem illum, quem omnes novimus, Ephorum auctorem fuisse conjicias. Sed de hoc utcunque statuas, illud certum est, falli Schurzfleischium Notit. Bibl. Vinar. p. 211., qui Suidae loco com-

motus etiam apud Clementem Ephori nomen restitui voluit, cujus errorem notavit Marxius ad Fragm. Eph. p. 7. Sequitur opus *ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΙΣΘΜΙΩΝ* epicis Euphorionis carminibus minus recte adnumeratum a Passowio Proleg. ad Musaeum p. 58. De argumento libri non constat; probabile tamen est, egisse auctorem in eo de origine, progressu et institutis ludorum Isthmicorum; in quibus cum etiam musica certamina committerentur, ipse materiae ordo auctorem ducere debebat eo, ut de variis instrumentorum musicorum generibus exponeret, quod in iis, quae supersunt, fragmentis factum videmus. Ejusdem tituli, fortasse etiam argumenti, librum scripsisse perhibetur aequalis Euphorionis poeta Musaeus Ephesius, de quo vide Passowium l. c. p. 37. 78. 91., quem tamen falli puto, cum in tali argumento Musaei librum versatum esse statuit, quod si tractasset Musaeus, non *περὶ τῶν Ἰσθμίων* librum suum inscripsisset, sed aut *Ἰσθμιακά* aut certe *περὶ Ἰσθμιακῶν*. Quaestionem de instrumentis musicis etiam in alio opere tractavit Euphorio, quod *ΠΕΡΙ ΜΕΛΟΠΟΙΙΩΝ* inscripserat. Citat Athenaeus IV. p. 184. a., ubi tamen Jonsius Script. Hist. Phil. II. 9. legit *περὶ μελοποιῶν* de *poetis melicis*, quod sequutus est etiam Vossius de Hist. Graec. p. 86. Causam mutationis non video; quid quod unicum quod superest fragmentum receptae lectioni patrocinatur? in quo fragmento cum de variis syringum

et calamorum generibus agatur, quam aptum haec quaestio locum habuerit in libro περὶ μελοποιῶν, sponte intelligitur. Deinceps dicendum de opere grammatico VII. libros complexo, in quo dictionem Hippocrateam tanta diligentia explicuerat, ut ceteris, qui in eodem argumento elaborassent, grammaticis palmam praeriperet. Titulus operis fuisse videtur ΛΕΞΙΣ ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ, vel simili modo. Testis est Erotianus Expos. Vocc. Hippocr. p. 10., ubi postquam inter eos, qui orationem Hippocratis explanandam suscepissent, etiam Lysimachum Coum commemorasset, ita pergit: καὶ γὰρ ὁ ἀναλεξάμενος αὐτὸν Εὐφορίων πᾶσαν ἐσπούδασε λέξιν (Hippocratis) διὰ βιβλίων ἓξ. τῶν δὲ γραμμαικῶν οὐκ ἔστιν, ὅσπερ ἐλλόγιμος φανεὶς παρῆλθε τὸν ἄνδρα. Quae verba Meursius ad Hellad. p. 967. ita interpretatus est, ac si Euphorio Lysimachi libros de Hippocrate commentariis illustrasset; quo factum est, ut Euphorionis librum ita inscriptum fuisse existimaret: Ὑπόμνημα εἰς Λυσιμάχου τοῦ Κώου πραγματείαν. Qua interpretatione nihil cogitari potest a mente Erotiani alienius. Ceterum pro ἀναλεξάμενος latinus interpres legisse videtur ἀναδεξάμενος.

His ita expositis, ad ipsa deinceps poetae nostri fragmenta accederem, nisi hoc a nobis merito expectari posse videretur, ut qualis Euphorioneae poesios color et habitus fuerit explicaremus, et quibus ille sive vitiis laboraverit sive

virtutibus excelluerit doceremus. Quod tametsi in tanta fragmentorum non solum paucitate, sed etiam brevitate periculosum videri potest, habemus tamen veterum ea de re judicia, quorum ductu certe aliqua ex parte susceptae quaestioni satisfacere licebit.

Eorum igitur, quorum de Euphorione judicia ad nostram memoriam pervenere, neminem antiquiorem reperio Cratete Mellota, cujus de Chalcidensi poeta versiculi leguntur apud Brunck. Anal. II. p. 3.

Χοιρίλος Ἀντιμάχου πολὺ λείπεται· ἀλλ' ἐπὶ πᾶσι
χοιρίλον Εὐφορίων εἶχε διὰ στόματος.
καὶ κατάγλωττ' ἐποίει τὰ ποιήματα, καὶ τὸ φίλητρα
ἀτρεκέως ᾔδει· καὶ γὰρ Ὁμηρικὸς ἦν.

Quorum versuum flagitiosam elegantiam quum jam supra, quantum satis est, attigerimus, hoc loco de iis tantum dicemus, quae ad perspiciendam Euphorioniae poesios indolem faciant. Ut ab ultimis ordiar, memorabile est, Euphorionem a Cratete dici *Homericum*, quod quorsum pertineat, primo adspectu non satis apparet. Crates ipse et Seleucus, nobiles Grammatici, quo sensu dicantur Homerici satis constat: cf. Villoison. Proleg. ad Hom. p. XXIX.; sed Euphorio, qui neque Homeri carminibus explanandis, vel ad

criticam rationem revocandis studium impendit, neque ad Homericae poesios simplicitatem aliasque cognatas virtutes, quibus maxime ejus praestantiam censere consuevimus, vel e longinquo adspiravit, Euphorio igitur, quo jure Homericus a Cratete vocari potuerit, non intelligitur. Itaque nihil relinquitur, nisi ut ideo hoc a Cratete factum esse existimemus, quod summa Homericorum carminum admiratione captus eorum colorem et habitum acri quidem sed improspero studio imitari conaretur, et summae illius admirationis vestigia suis ipsius carminibus imprimeret, id quod eum fecisse videmus Fragm. LXX.

Μοῦσαι ποιήσαντο καὶ ἀπροτίμαστος Ὅμηρος.

Quod idem Choerili admirator fuisse, eumque ipsi adeo Antimacho praetulisse innuitur, id docet certe, sui hominem fuisse judicii neque temere in aliorum sententias concessisse. Antimachi enim quanta fuerit tum temporis apud plerosque auctoritas, notissimum est: cujus rei causam merito Schellenbergius ab honorifico Platonis de Colophonio poeta judicio repetit, id quod etiam in causa fuit, cur Alexandrini Antimachum in ordinem reciperent excluso Choerilo. Sed hoc quidem post Euphorionis aetatem factum est; neque dubito, quin illud Cratetis epigramma eo ipso tempore scriptum sit, quo de scriptoribus in canonem vel recipiendis vel non recipiendis gravissimae quaestiones non sine ira et studio in

Museo Alexandrino agitarentur; quo tempore cum alii Choerilum, alii Antimachum, alii fortasse etiam Euphorionem recipiendum dicerent, Crates, acerrimus Aristarchi adversarius, suam de hac re sententiam propositurus, illud scripsisse videtur epigramma. Imitatusne fuerit Choerilum Euphorio, ut nunc res est, certo dijudicari non potest; idoneam tamen rationem, cur negetur, non video. At simplicitatem ejus non assequutus est, multo minus Homericam. Cf. Naeke de Choerilo p. 99. Imo vero certissimum est, Euphorionis ingenium ita fuisse comparatum a natura, ut ad Antimachi imitationem vel invitus traheretur. Quod quamquam certis exemplis doceri non potest, tota tamen orationis conformatio et utriusque poetae in tractandis argumentis similitudo plane admirabilis ita docent, nullus ut dubitationi locus relinquatur. Res ipsa me ducit ad decantatam in tota antiquitate poetae nostri obscuritatem, quam ipsam in causa fuisse suspicari licet, ut Tiberius eum una cum Rhiano et Parthenio in deliciis haberet, nec in suis tantum carminibus eos imitaretur, sed *scripta eorum et imagines publicis bibliotheois inter veteres et praecipuos auctores dedicaret, et ob hoc plerique eruditorum certatim ad eum multa de his ederent.* Sunt Suetonii verba in Tiber. Cap. LXX. Sed de Euphorionis obscuritate maxime omnium memorabilis est Clementis Alex. locus Strom. V. p. 571. *Εὐφορίων*, inquit, *ὁ ποιητὴς καὶ τὰ Καλ-*

λιμάχου Αἴτια [12]) καὶ Ἶβις καὶ ἡ Λυκόφρονος Ἀλέξανδρα καὶ τούτοις παραπλήσια γυμνάσιον εἰς ἐξήγησιν γραμματικῶν ἔκκειται παισίν. Ita enim legendum e Davisii (ad Cicer. de div. II, 64.) conjectura pro edito ἄπασιν, quod ne graecum quidem. Grammaticorum filios habes etiam apud Athen. VIII. p. 359. d. cll. Boettigero Archaeol. Art. pict. I. 136. Vulgatum retinuere Bentl. ad Callim. I. p. 417. Ern. et Heynius Opusc. Acad. I. p. 94., qui Clementis verba ita interpretatus est, ut in suo exemplari (usus est autem editione Potteri) legisse videatur: τὰ Εὐφορίωνος τοῦ ποιητοῦ σύμμικτα, nisi is Heynii error est, qui locum paulo festinantius inspexerit. Cum Clementis judicio optime congruit Ciceronis locus de Divin. II. 64. *Quid? poeta nemo, nemo Physicus obscurus? Illi vero. Nimis etiam obscurus Euphorion: ut non Homerus. Uter igitur melior?* At quaeri potest, qua in re posita fuerit ista Euphorionis obscuritas. Omnis poetae obscuritas cernitur aut in ipso, quod tractandum sibi sumpserit, argumento, aut in orationis forma et

---

12) Ad Callimachi exemplum fortasse Dionysius Corinthius sese composuit, cujus Αἴτια laudantur a Suida Vol. I. p. 601. et Plutarch. Amat. p. 761. B. Callimachi Αἰτίοις adde fragmentum a Joh. Lydo servatum de Mens. IV. p. 56. Καλλίμαχος δὲ πρώτῳ αἰτιῶν (Αἰτίων)· Τιτράσιον Δαμάσου παῖδα Τιλιστοχείδην, unde emendandum Fragm. Bentl. CLIV.

indole. Utrumque cadit in Euphorionem. Qui quam abstrusas et reconditas fabulas tractaverit, fragmenta carminum docent certissime. Qua in re convenit ei, ut alios mittam, cum Callimacho et Parthenio, de quo Artemidorus Oneirocr. IV. 65. p. 379. *καὶ παρὰ Παρθενίῳ ἐν ἐλεγείαις ἱστορίαι ξένναι καὶ ἄτριπτοι.* De Callimacho res notior est, quam quae testibus confirmari debeat. Afferam tamen Strabonis locum, ab iis, qui de Cyrenaeo poeta scripsere, nisi memoria fallit, neglectum, Lib. IX. p. 633. *καὶ μὴν πολυΐστωρ, εἴτις ἄλλος, καὶ πάντα τὸν βίον, ὡς αὐτὸς εἴρηκεν, ὁ ταῦτα μυθεῖσθαι βουλόμενος,* ubi legendum videtur: *καὶ πάντα τὸν βίον — τοιαῦτα* (obscuras et reconditas fabulas) *μυθολογεῖσθαι βουλόμενος.* Euphorionis obscuram in fabulis tractandis diligentiam fortasse significare voluit etiam is, qui inscriptionem Theodoridae carmini praefixit in Cod. Vatic. Anthol. Graec. apud Brunck. Anal. II. p. 45., ubi Euphorio dicitur *μυστὴς τῶν ἑλληνικῶν μυθολογημάτων καὶ τελεσιουργημάτων.* Major etiam obscuritas Euphorionis carminibus ex eo adhaesit, quod passim fabulas pro suo arbitrio et consilio immutavit, cujus rei aliquot exempla videbimus in fragmentis. Orationis autem forma usus fere est ea, quae neque structurae haberet perspicuitatem, neque in verborum delectu facilitatem. Prioris generis complura extant in fragmentis exempla. Ad verborum autem delectum quod attinet, vocabulis vocabulorumque

formis fere usus est obsoletis et a vulgari consuetudine remotis, quibus doctrinae copiam ostentaret et orationi antiquitatis quandam speciem conciliaret. Idque ipsum significare voluit Crates, qui *κατάγλωττα ποιήματα* eum condidisse dicit, quem ad modum etiam Lucianus locutus est Lexiph. T. II. p. 349. *ἡμεῖς γὰρ οὐδὲ ποιητὰς ἐπαινοῦμεν τοὺς κατὰ γλῶτταν γράφοντας ποιήματα*, ubi legendum videtur: *κατάγλωττα*. Sed non alienum fuerit ab hoc loco, quotquot in fragmentis dispersae latent notabiliores voces glossematicae, eas ordine referre. Ita *Δωδῶνα* dixit pro *Δωδώνην* Fragm. II., *ζάψ* de *maris aestu* III., *κελέβη* de *poculo* VI., *Μήδη* pro *Μήδεια* X., *ψαφαρός confragosus* XVIII., *φλοῖσβοι* de *belli tumultu* XIX., *κονισάλεος pulvere adspersus* XIX., *λίες* numero plurali XXVII., *δεδουπώς* pro *θανών* XXXVIII., *εἶαρ* pro *αἷμα* ibid., *χάρων* de *leoni* XLVII., *γενέτειρα* de *filia* ibid., *κόπροι* de *stabulo* XLIX., *μοῦναξ seorsim* L., *δασπλής* LII., *πλόμενος* pro *περιπλόμενος* LV., *ἄπαστος* pro *ἄγευστος* LVI., *ἀπροτίμαστος* LXII., *κυνηλατεῖν* pro *κυνηγετεῖν* LXIII., *ἀφαρής investis* LXVI., *ἀμεύσασθαι* pro *ἀμείβεσθαι* LXX., *ἠλέκτωρ* de *sole* LXXIV., *πέμφιγες* pro *σταγόνες ὄμβρων* LXXVI., *Αἰγαλῆες* latiore sensu de *Graecis* LXXX., *εὐρυκόωσα potens* LXXXVI., *δάνος* pro *δῶρον* LXXXIX., *βύνη* de *mari* XC., *εὐβύριος* pro *εὔοικος* XCII., *ἀτρεύς* pro *ἄτριστος* XCIV., *ποιφύσσειν* pro *πνεῖν* XCV., *θιμβρός* pro *θερμός*

XCXI., πόποι pro θεοί XCIX., ὑποκύδης pro διύγρος CI., εὔωρος pro ἀπαραφύλακτος CII., ἀτάρμυκτος pro ἄφοβος CIII., ἦλ pro ἦλος CV., ἀστέμβακτος *inconcussus* CVI., μῶσθαι pro ζητεῖν CIX., ἄλλιξ pro χιτών CXII., ἄνταρ pro δίασμα CXIII., Δαφνοῦσα pro Δαφνοῦς CXIV., Νεδέη sive Νεδαίη pro Νέδη CXIX., βαλήν i. q. βασιλεύς CXXVII., χαμαιεύνης pro χαμαὶ κοιμώμενος CXXVIII., Αὖλιν pro Αὐλίδα CXXIX., κρεῖον pro κρέας CXXXIII., μνιός pro ἁπαλός CXXXVII., Ῥειώνη *Juno* CXXXVIII.; πεφορινῶσθαι de oculorum morbo CXLIII. Ex eodem doctrinae ostentandae studio fluxit frequens usus epithetorum quaesita obscuritate laborantium, velut κελέβη Ἀλυβηΐς pro simplici χαλκῆν Fragm. VI., Ἀσβώτιοι ἵπποι pro Θετταλικοί Fragm. XIX., Φοῖβος Λυκωρεύς pro Δελφικός Fragm. LIII.

Sed haec et alia ejusdem generis complura, quae enumerare nolui, Euphorio cum Antimacho, Alexandrinis, Parthenio [13]) aliisque fortas-

---

13) De Antimacho et Alexandrinis res est notissima, minus fortasse de Parthenio. Ex magna exemplorum copia haec pauca sufficiant: ita δρύψιλον ille dixit pro φύλλον in versu apud Etymol. M. p. 288. ult. οὐδὲ πόροι ῥίζης δρύψελα Ποντιάδος, quo apium significari voluit. Ibid. p. 260. 30. δείκελον Ἰφιγόνης pro ἄγαλμα. Ibid. p. 374. 53. ἐρισχηλοῖς κορυνηταῖς pro λοιδόροις. Ibid. p. 288. 3. δροίτη pro σο-

se poetis habuit communia. Neque profecto vitio vertendum poetae, si rarioribus et a vulgari consuetudine remotis vocabulis utatur, modo suo loco id faciat, neque justo frequentiori talium vocabulorum usu tenebras orationi obducat, nisi glossariorum auxilio non dispellendas. Illud autem proprium et quasi peculiare habuit Euphorion, quod passim vulgarium verborum significationem immutaret, novamque iis planeque inauditam vim tribueret. Cujusmodi acyrologiae exemplum admodum memorabile attulit Helladius *ναυαγὸς Ἰάσων*, quo non *naufragum* sed *navis ductorem* significari voluit. Vide Fragm. CXI. Similem sibi licentiam sumsisse videtur in usu vocis *ἀνθερεών*, de quo vide Fragm. LI. Paullo minus insolentiae vitio laborat, quod ibidem affertur ab Helladio, *κηπουρὸς* de dracone Hespe-

---

ρος, quamquam in hoc Aeschylum ducem sequutus est. Sed ipsa adscribam verba Grammatici: δρείτη ἡ πύλος· ὁ δὲ Αἰτωλὸς τὴν σκάφην ἐν ᾗ τιθηνεῖται τὰ βρέφη. Παρθένιος δὲ τὴν σορόν., ubi leg. Ἀλέξανδρος δὲ ὁ Αἰτωλός. Ibid. p. 148. 33. Ἔρως dixit de *Amore*: ἀμφοτέροις ἐπιβὰς Ἔρως ἐληΐσατο, quod expressisse videtur ex illo Propertii:

Et caput impositis pressit Amor pedibus.

Apud Schol. Pind. Isthm. II. 69. ἀνανίμειν pro ἀναγιγνώσκειν. Apud Steph. Byz. s. v. Ἀφροδίτη p. 49. Ἀκαμαντίς de *Venere*. Ibid. s. v. Βορυσθ. p. 125. Καταπίτης de *Adonida*.

ridum mala custodiente: in quo inest quaedam figuratae dictionis audacia, a qua non alienam fuisse Euphorionis poesin, docent Fragm. XC. CXC. et alia. Eodem retulerim usum verbi πρηνίζειν (Fragm. XVI.), injuria ab antiquis grammaticis reprehensum, nisi forte Aeschylum nota dignum censebimus, apud quem simillimum figuratae dictionis exemplum habemus in Persis 925., ubi Chorus Persarum cladem deplorat:

Αἴ αἴ αἴ αἴ κεδνᾶς ἀλκᾶς
Ἀσία δὲ χθών, βασιλεῦ γαίας,
αἰνῶς αἰνῶς ἐπὶ γόνυ κέκλιται.

Quorum versuum prior, ut hoc obiter moneam, inficete vulgo Xerxi tribuitur. Omnia inde a v. 914 - 926. ed. Sch. uni Choro esse tribuenda quivis sentiat, qui ad totius carminis vim et tenorem attendat.

Nec obscuritatem tantum e doctrinae ostentatione natam, sed etiam molestam quandam orationis prolixitatem et loquacitatem veteres in Euphorione notaverunt. Loquacitatem autem non intellexisse videntur eam, quae in vano verborum strepitu et inepto quodam, qualem apud Nonnum similesque poetas deprehendimus, orationis tumore cernitur, sed illud potius veteres notasse videntur, quod in argumentorum tractatione nimio uteretur ambitu et ingrata orationis latitudine tum, ubi minime exspectasses. E paucis quidem, quae hodie supersunt, fragmentis

hoc satis perspici non potest: nisi forte Philoctetem huc trahas, in quo carmine etiam in Iphimachi rebus enarrandis justo latius evagatus esse videtur. Sed idoneum habemus testem Lucianum de Conscr. hist. Vol. II. p. 65. Amst. Monet eo loco Lucianus, brevitati esse studendum neque dicendi copiam importuno loco ostentandam. Tum Homerum laudat, qui Tantali, Ixionis, Tityi aliorumque poenas et fata, quamquam amplissimam dicendi copiam nactus, tamen leviter et paucis versibus attigerit: *εἰ δὲ Παρθένιος*, inquit, *ἢ Εὐφορίων ἢ Καλλίμαχος ἔλεγε, πόσοις ἂν οὐκ ἔπεσι τὸ ὕδωρ ἄχρι πρὸς τὸ χεῖλος τοῦ Ταντάλου ἤγαγον; εἶτα πόσοις ἂν Ἰξίονα ἐκύλισαν;* ubi Piersonus ad Herod. p. 440. miratus, Battiadae *βραχυλογίας* studiosissimo loquacitatis crimen intendi, Callimacho Antimachi nomen substituit [14]), qua emendatione satis ostendit, se

14) Piersoni rationem improbavit etiam Schellenberg. ad Antim. p. 46., qui tamen cum se aliquot loca Luciani desiderare dicit, ubi serioribus scriptoribus nomen antiquioris sic postponatur, non attendisse videtur, in ipso illo Luciani loco Parthenium, Augustei aevi poetam, ante Callimachum et Euphorionem commemorari. Ceterum Antimachi et Callimachi nomina saepissime inter se permutari satis constat. Nec tamen ideo Blomfieldio assentias, qui in Addendis ad Callim. p. 400. apud Etymologum M. s. v. *ἀβολητύς*, *ἴτευξις*, *ἀπάντησις*,

Callimachi poesios indolem parum perspectam habuisse. Callimachus in summa brevitate est loquacissimus, eodemque vitio laborasse Euphorionem, docet hujus cum Callimacho comparatio.

Ἀντίμαχος — Callimachi nomen restituendum esse non dubitat. Sic autem ratiocinatur V. CL., usum esse Callimachum rarissima voce ἀβολέω (Fragm. CCCCLV.), apud quem quum frequentissime reperiantur substantiva in ῡς desinentia, necessaria consequutione effici, ut substantivo ἀβολητύς non Antimachus uti potuerit, sed Callimachus uti debuerit. Est haec nova argumentandi ratio et digna scilicet, quae tanquam illustre exemplum tironibus imitanda proponatur. Quid vero tum, si diserto Grammaticorum testimonio constat, etiam Antimachum substantiva in ῡς desinentia frequentissime usurpasse? Vid. Schol. Vict. apud Heynium ad Iliad. Vol. VII. p. 658. Prorsus huic simile est aliud ejusdem Blomfieldii commentum, quo tanquam προσώπῳ τηλαυγεῖ ipsum Callimachi sui introitum condecoravit. Exhibuit eo loco Battiadae vitam a Suida consarcinatam, ubi cum Callimachus dicatur discipulus Hermocratis Jasensis, μαθητὴς Ἑρμοκράτους Ἰασέως γραμματικοῦ, se dubitare professus est, an Grammatici Ἰασέως apud alios mentio injiciatur, praeterquam in corrupto loco Anti-Attic. p. 19. ἀθετεῖν φασιν οὐ δεῖ λέγειν, ἀλλ' ἀναιρεῖν. ἰασιν οὖν ὁ γραμματικὸς μέμφεται ἐπὶ τῇ λέξει Ἀριστοτέχου, ubi corrigendum esse Ἴασις οὖν ὁ γραμματικός. Qua una correctione et grammaticae

Ceterum Heynius Opusc. Acad. I. p. 93. male, ut equidem opinor, Luciani verba ad doctrinae copiam traxit, qua expromenda illi poetae sibi indulserint.

Quae adhuc disputavimus, magis ad vitia, quibus laboravit Euphorio, notanda, quam ad virtutes, quibus eminuit, explicandas pertinere sponte intelligitur. Habuisse tamen Euphorionem etiam, quo egregie commendaretur, non est quod dubitemus: quamquam hoc non tantum fuit, ut ideo dignus videri potuisset veteribus, quem in magnorum poetarum exemplis ponerent. Sed de virtutibus Euphorioneae poesios quaerenti praeter fragmentorum brevitatem illud maxime molestum est, et judicandi facultatem praecidit, quod nemo veterum disertius de Chalcidensi poeta sententiam suam explicuit. Ita etiam is, qui

---

et geographiae et chronologiae scientiam comprobavit prorsus admirabilem. Aliis fortasse *Jasonis Grammatici* nomen in corrupta voce latere videbitur, qui laudatur apud Etymol. M. p. 184. 27. et Zonar. Lex. I. p. 367., idem fortasse, cujus librum de insula Cnido ad partes vocat Schol. Theocr. XVII. 68. Nisi forte *Ixionis*, nobilissimi Grammatici, nomen reponendum suspiceris, qui cum contra Aristarchi ἀθετήσεις Homericas scripsisse perhibeatur, v. Wolfii Proleg. Homer. p. CCLIV., facile ipsam vocem ἀθετεῖν, qua usus erat Aristarchus, tanquam ἀδόκιμον proscribere potuit.

ceteris fere acutius graecos poetas taxavit Quintilianus. Euphorionem paucis tantum verbis attigit et ita quidem, ut quibus potissimum in rebus probabilis fuerit ejus poesis non perspicias. Sic enim ille Instit. Rhet. X. 1, 56. *Quid? Euphorionem transibimus? quem nisi probasset Virgilius, idem nunquam certe conditorum Chalcidico versu carminum fecisset in Bucolicis* (X. 50.) *mentionem.* Ex quo loco in neutram partem aliquid certi efficias; quamquam recte monuisse videtur Spaldingius, e sequentibus Quintiliani verbis „non *utique* damno" intelligi posse, magis displicuisse Euphorionem Romano rhetori, quam placuisse. Videndum tamen, ne Quintilianus non nihil Ciceronis auctoritati tribuerit, quem non admodum honorifice de Euphorione sensisse supra vidimus. Sed de hoc utcunque statuatur, illud tamen haud contemnendum poeticae, qua poeta noster excelluit, virtutis documentum censeri debet, quod Cajus Cornelius Gallus, eximius poeta [15]), ad Euphorionis imitationem sese composuit, non facturus profecto, nisi habuisset Euphorio, quae elegantis viro ingenii probarentur. V. Virgil. Buc. X. 50. ibique intpp. et quae ipsi ad Fragm. XLVI. monuimus.

---

15) Fragmenta Galli collegerunt Intpp. Propertii Eleg. I, 21. 7. Cirin eidem gravissimis rationibus vindicavit J. H. Vossius ad Virgil. Bucol. VI. 74.

Minus Tiberii Caesaris judicio tribuam, qui ut Rhianum et Parthenium, ita etiam Euphorionem haud aliam ob causam admiratus esse videtur, quam quod obscura istorum poetarum dictione mirifice delectaretur. V. Sueton. Tiber. c. 70. Vel sic tamen dubitari non potest, quin Euphorionis poesis, ut Antimachi aliorumque Antimacho similium poetarum carmina, magis docta quadam elegantia et insolentioris dictionis artificio, quum sententiarum pondere, affectuum veritate et gravitate ceterisque, quibus magnos poetas censemus, virtutibus excelluerit.

EUPHORIONIS
CHALCIDENSIS
FRAGMENTA.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ.

I.

Stephanus Byzant. s. v. Σύλοι p. 613. Pin. Σόλοι, Κιλικίας πόλις, ἡ νῦν Πομπηίου πόλις. Ἑκαταῖος Ἀσίᾳ. Κέκληται ἀπὸ Σόλωνος, ὡς Εὐφορίων ἐν Ἀλεξάνδρῳ. Ita Cod. Rehdig., cujus discrepantes in aliquot Stephani locis lectiones Passovius mecum communicavit. Pinedo et ceterae, quas mihi consulere licuit, editiones: Εὐφορίων ἐν Ἀλε**., quod miris modis tentavere Tan. Faber. Bochartus et Menagius ad Diogen. Laert. Vol. II. p. 29., quorum conatus, genuina lectione reperta, silentio premere satius est. Solonem autem dubitari potest, utrum intelligi voluerit Euphorio Atheniensem an Lindium. Atheniensem Solorum conditorem facit etiam Eustathius ad Dionysii Perieg. 875. Re-

ctius opinor Anonymus de Vit. Arati apud Buhlium Vol. II. p. 444. ὠνομάσθαι δὲ τὴν πόλιν φασὶν ἀπὸ Σόλωνος τοῦ Λινδίου. Quod firmat quodammodo Strabo Lib. XIV. p. 690. Lips. Σόλοι Ἀχαιῶν καὶ Ῥοδίων κτίσμα τῶν ἐκ Λίνδου. In Arati Vita quod Ruhnkenii apographum (apud Blomfield. ad Callim. p. 330.) praebet: ἀπὸ Σόλωνος τοῦ Μυνδίου, jure improbavit Hemsterhusius, cui miror placuisse Menagii Ἀθηναίου vel suum ipsius Σαλαμινίου.

ΑΝΙΟΣ.

II.

Ἴκομεν ἐς Δωδῶνα Διὸς φηγοῖο προφῆτιν.

Stephanus Byzant. de Dodona p. 744. Pin. καὶ τὴν αἰτιατικὴν φησιν Εὐφορίων Δωδῶνα ἐν Ἀνίῳ· Ἴκομεν κ. τ. λ.

ΑΝΤΙΓΡΑΦΑΙ ΠΡΟΣ ΘΕΟΔΩΡΙΔΑΝ.

III.

Ζεὺς δὲ ποτὶ σπιλάδεσσι νεῶν ὀλέτειρα κακύνει.

Clemens Alexandr. Str. V. p. 243. Sylb. ἔμπαλιν δὲ ὁ Κωμικὸς Φιλύδεος βέδυ τὸν ἀέρα, βιόδωρον ὄντα, διὰ τούτων γινώσκει·

Ἕλκειν τὸ βέδυ σωτήριον προσεύχομαι. —

συνομολόγος τῆς τοιᾶσδε δόξης καὶ ὁ Κυζικηνὸς Νεάνθης, γράφων τοὺς Μακεδόνων ἱερεῖς ἐν ταῖς

πατευχαῖς βέδυ κατακαλεῖν ἵλεω αὐτοῖς τε καὶ τοῖς τέκνοις. ὅπερ ἑρμνηνεύουσιν ἀέρα. Ζὰψ δὲ τὸ πῦρ οἱ μὲν παρὰ τὴν ζέσιν ἀμαθῶς ἐδέξαντο· καλεῖται δ' οὕτως ἡ θάλασσα, ὡς Εὐφορίων ἐν ταῖς πρὸς Θεωρίδαν (leg. Θεοδωρίδαν, de quo supra.) ἀντιγραφαῖς· Ζὰψ κ. τ. λ. Διονύσιός τε ὁ Ἴαμβος ὁμοίως.

Πόντου μαινομένοιο περιστείνει ἁλυκὴ ζάψ.

ὁμοίως δὲ Κρατῖνος ὁ νεώτερος Κωμικός·

Καρῖδας ἡ ζὰψ ἐκφέρει κἰχθύδια.

Integrum adscripsi locum etsi longiusculum, quum plura scitu dignissima contineat. De βέδυ i. q. ἀήρ Lexica tacent. Pro Φιλύδεος corrige Φιλύλλιος. Neanthis locus fortasse ex libro de mysteriis ductus est, de quo vide Harpocrat. p. 85. et intpp. In Cratini versu memorabilis est crasis κἰχθύδια, cui compares Archilochi illud apud Schol. Aristophanis Av. 1762. αὐτός τε καὶ Ἰόλαος αἰχμητὰ δύο. nisi hoc loco synecphonesin statuere malis. Denique in Euphorionis versu sententia καχλάζει vel aliud, quod propius ad editae lectionis ductus accedat, requirere videtur.

ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΣ.

IV.

Ποικίλον οὐδὲ μέλαθρον .... ὀρχίλος ἔπτη
Κυζίκου, ὃν δ' ἤεισε κακὸν γάμον ἐχθομένη κρέξ.

Tzetzes ad Lycophr. 515. κρὲξ ὄρνεόν ἐστι θαλάσσιον, ἴβιδι ἐοικός. — Καλλίμαχος δὲ ἐν τοῖς περὶ ὀρνέων φησί, τοῖς γαμοῦσι δυσοιώνιστον εἶναι. Καὶ Εὐφορίων ἐν Ἀπολλοδώρῳ· Ποικ. οὐδὲ μέλαθρον Ὀρχίλοχος ἔ. Κύζικος κ. τ. λ. Ita Muellerus. Post μέλαθρον excidisse videtur epitheton ad ὀρχίλος. Lacunae signa posuit etiam Thryll. qui οὐδὲ non male in ἂν δὲ mutat. Eidem debetur Κυζίκου pro Κύζικος. Recte autem vett. editt. ὀρχίλος, pro quo inepte novissimus editor ὀρχίλοχος. Gemello errore χοιρίλοχος scriptum reperitur pro χοιρίλος, de quo Naeke de Choer. p. 155. De orchilo, infausta avi, dixit Munkerus ad Anton. Lib. XIV. p. 100. et Spohnius de extr. p. Odyss. p. 125. Secundo versu ante Muellerum ἐχθόμενος, quod correxit ille e Codd. Vulgatum tenuit Heinsius ad Hesych. s. v. κρέξ. Ibidem fort. leg. οὐδ' ἤεισε καλὸν γάμον, vel ἤεισεν δὲ κακὸν γάμον. Spohnius totum locum sic scripsit:

— — ποικίλος ἄντα μελάθρων ὀρχίλος ἔπτη
Κυζίκου, ἐν δ' ἤεισε κ. τ. λ.

De avi κρὲξ vel κερκάς, pessimo nuptiarum omine, Glossator Vict. ad Aristoph. in Actis Monac. I. p. 397. κρὲξ ὄρνεόν τι, ὃ τοῖς γαμοῦσιν οἰωνίζεται. τάσσεται δὲ καὶ ἐπὶ τρόχου. Fort. τροχίλου, Plura vide apud Wesseling. ad Herod. II. p. 138. De Clitae et Cyzici nuptiis sermonem esse cer-

tissimum est. Similiter Ovidius Met. IV. 431. de infausto Terei et Procnes connubio:

Eumenides stravere torum, tectoque profanus
Incubuit bubo, thalamique in limine sedit.

In narranda autem de Cyzico fabula mirifice Euphorio ab aliorum ratione discesserat. Etenim non Clitam, Meropis, sed Larissam, Piasi filiam, ab ipso patre ante nuptias vitiatam, Cyzico desponsatam fuisse narraverat. Testis est Parthen. Erot. XXVIII. p. 64. in capite de Clita. *Ἱστορεῖ Εὐφορίων Ἀπολλοδώρῳ, τὰ ἑξῆς Ἀπολλώνιος Ἀργοναυτικῶν ᾱ. Διαφόρως δὲ ἱστορεῖται περὶ Κυζίκου τοῦ Αἰνέου* (vid. Pierson. Verissim. p. 112.) *οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν ἁρμοσάμενον Λάρισσαν τὴν Πιάσου, ᾗ ὁ πατὴρ ἐμίγη πρὸ γάμου, μαχόμενον ἀποθανεῖν· τινὲς δὲ κ. τ. λ.*, quae ducta sunt ex Apollonio, cujus Schol. ad I. 1063. haec habet: *ὁ μὲν Ἀπολλώνιος νεόγαμον τὸν Κύζικον καὶ ἄπαιδα ἱστορεῖ, Εὐφορίων δὲ ἐν Ἀπολλοδώρῳ μελλόγαμον. Τὴν δὲ Κλείτην οὐ Μέροπος λέγει θυγατέρα, Θρῆσσαν δὲ τὴν Πιάσου· οὐδὲ παθεῖν τι ἐπὶ τῷ τοῦ ἀνδρὸς θανάτῳ, ἀπαχθῆναι δὲ οἴκαδε ὑπὸ τοῦ πατρός.* Ubi non dubito, quin recte conjecerim: *τὴν δὲ γαμετὴν οὐ Μέροπος λέγει θυγατέρα, Λάρισσαν δὲ τὴν Πιάσου.* Euphorionem sequutus videtur Scriptor inc. (fort. Aelianus) apud Suidam t. v. *ἀθέμιστα* Vol. I. p. 69. *ἠράσθη Πίασος Θετταλὸς τῆς ἑαυτοῦ θυγατρὸς ἔρωτα*

ἄθεσμόν τε καὶ δυστυχῆ. Piasi nomen recte Muellerus Hist. Civitt. Graec. I. p. 126. ad Thessaliae fertilitatem trahit. Euanthes, quem Schol. Apoll. l. l. cum Apollonio consentire scribit, fortasse epicus poeta fuit, laudatus ille ab Athen. VII. p. 296. Pro Deilocho, qui et ipse Clitae fabulam narraverat, Scholia Parisina Diiochum offerunt, tum alibi tum ad v. 976., ex quo loco corrige Etymol. M. p. 518. 1. Rectius videtur Deilochus, fort. Proconnesius ille, de quo Dionysius Halic. Judic. de Thucyd. p. 818. Rsk.

V.

Photius Lex. p. 237. ὁ κάτωθεν λόγος. ὅτι γὰρ βουστροφηδὸν ἦσαν οἱ ἄξονες καὶ οἱ κύρβεις γεγραμμένοι δεδήλωκεν Εὐφορίων ἐν τῷ Ἀπολλοδώρῳ. Eadem habent Suidas s. v. ὁ κατ. νόμος et Harpocrat. p. 261. De ἄξοσι et κύρβεσι, Solonis legum tabulis, pleraque congesserunt Petitus Praef. ad Legg. Att. p. III. Meursius Lectt. Att. I. 22. et Heynius ad Apollod. II. p. 595.

ΑΡΑΙ Η ΠΟΤΗΡΙΟΚΛΕΠΤΗΣ.

VI.

Ὅστις μευ κελέβην Ἀλυβηΐδα μοῦνος ἀπούρα.

Stephanus Byzant. s. v. Ἀλύβη p. 67. Pin. ἔστι καὶ Ἀλυβεὺς καὶ Ἀλυβηίς. Εὐφορίων ἐν Ἀραῖς ἢ Ποτηριοκλέπτῃ· Ὅστις μευ καὶ κ. τ. λ. τουτέστι τὴν ἀργυρᾶν διὰ τὰ μέταλλα. Schol. Theocr. II.

2. κελέβη — ποτήριον ξύλινον καλυκῶδες· Εὐφορίων ἐν Ποτηριογλύπτῃ (— κλέπτῃ)· Ὅστις ἐμὴν κ. Ἀλ. μοῦνον ἀπηύρα. Apud Steph. ante Pinedum erat κέλκην. Eadem vox infra recurrit Fragm. LXXII, Initio versus verum videtur ὅστις μευ, pro quo Schol. Theocr. ὅστις ἐμήν. Male Salmasius ad Dosiadae Aram. p. 135. ὅς μὲν τήν. Pro μοῦνος Scholiastes μοῦνον, quod praefert Toupius ad Theocr. Schol. p. 439. Berol. In fine versus servavi Stephani ἀπούρα. Quae forma, si genuina est, admodum memorabilis videri debet, quandoquidem praeter participia ἀπούρας et ἀπουράμενος nihil hujus aoristi occurrit. Vide Buttmanni Lexil. I. p. 76. Ac fortasse scripserat poeta ἀπούρας, ut participium pependisse dicatur ab iis, quae jam interciderunt.

ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ.

VII.

Δαίμονος Ἀμφιλύσοιο ῥόον. —

Stephanus Byzant. s. v. Ἀσσωρόν p. 127. Pin. Ἀσσωρὸν, ὄρος Σάμου, ὅθεν ῥεῖ Ἀμφίλυσος. Εὐφορίων Ἀρτεμιδώρῳ· Δαίμονος Ἀμφιλύσιον ῥόον. Cod. Salm., monente Passovio, Ἀμφιλύσοιο, quo ducit et Rehdig. Ἀμφιλύσιο. Ceterum Ἀμφίλυσος penultimam corripit, ut Ἰάλυσος apud Pindar. Olymp. VII. 135., quem locum Passovius mihi indicavit.

ΑΤΑΚΤΑ.

Vide infra sub *Μοψοπία*.

ΓΕΡΑΝΟΣ.

VIII.

Ὤριον οἷά τε μῆλον, ὅ τ' ἀργιλλώδεσιν ὄχθαις
πορφύρεον ἐλαχείῃ ἐνιτρέφεται Σιδόεντι.

Athenaeus Lib. III. p. 82. a. *διάφορα δὲ μῆλα γίνεται ἐν Σιδοῦντι — ὡς Εὐφορίων ἢ Ἀρχύτας ἐν Γεράνῳ φησίν· Ὤριον κ. τ. λ.* Legebatur *ὁ δ' ἀργ.*, quod correxi. Versu secundo Jacobsius *ἐνὶ τρέφεται*. Sine causa. Nicander Ther. 419. *κοῖτον δὲ βαθεῖ ἐνεδείματο θάμνῳ.* Et sic ille, ni fallor, ubique. Cf. vs. 439. 511. 914. Hinc etiam v. 45. *Θρήϊσσαν ἐνὶ φλέξας πυρὶ λᾶαν*, malim *ἐνιφλέξας*.

ΔΗΜΟΣΘΕΝΗΣ.

IX.

Δαίμονος ἱλάοιο —

Choeroboscus apud Bekk. Anecd. Graec. III. p. 1383. *ὅτι γὰρ ἐκτείνει (ἵλαος) τὸ ᾱ, ἐδήλωσε Παρθένιος ἐν τῷ Βίαντι εἰπών· Ἵλαος ταύτην δέχνυσο πυρκαΐην — καὶ ἐν τῷ Εὐφορίωνος Δημοσθένει ὁμοίως ἐκτεταμένον εὑρίσκεται, οἷον· Δαίμονος ἱλάοιο.* Producit etiam apud Theocr. V. 18. et alios.

ΔΙΟΝΥΣΟΣ.

X.

— *Βλαψίφρονα φάρμακα χεῦεν*
Ὅσσ' ἐδάη Πολύδαμνα, Κυτηΐας ἢ ὅσα Μήδη.

Scholion φ. ad Odyss. IV. p. 136. Buttm. de Polydamna: *βέλτιον δὲ ὄνομα κύριον αὐτὸ δέχεσθαι, ἐπεὶ καὶ Εὐφορίων ἐν Διονύσῳ φησί· Βλ. φ. χεῦεν, ὅσσ' ἐδάη Πολύδαμνά τε Κυταΐς ἢ ὅσα Μήδεια.* Eadem sed pejus etiam corrupta leguntur apud Eustath. p. 1493. 46., ubi deest *χεῦεν*, pro quo Ruhnk. Epist. crit. p. 260. ex ingenio addiderat *πάσσεν*. Altero versu Eustathius *Κυταΐς ὅσα Μήδεια*. Hermannus ad Orph. Argon. 1009. scripsit: *Κυταιιὰς ὅσσα* *** *Μήδει'*. ut *Μήδεια* ad sequentem versum pertinuerit. Mihi lenius visum est *Κυτηϊὰς* (sive *Κυταιϊὰς*) *ἢ ὅσα Μήδη*, qua forma usus est etiam Andromachus apud Galen. Vol. XIII. p. 875. Chart.

Οὐ θερμὴν θαψόν τε καὶ ὠκύμορον πόμα
Μήδης.

Ita *Ἱπποδάμη* pro *Ἱπποδάμεια* e Codd. reddendum Nicandro Fragm. apud Schneid. p. 3. *Ἱπποδάμη ἐφύτευσε. Εὐρυγάνη* pro *Εὐρυγάνεια* dixerat Pisander apud Schol. Phoen. 1748. Similia aliquoties jam tetigit Stephanus Byz. s. v. *Ἀγάμεια* p. 12. s. v. *Ἐρύθεια* p. 272. et s. v. *Ψυττάλεια* p. 729. Cave tamen eodem trahas vitiosam formam *Ἰφιγένη* pro *Ἰφιγόνη* apud Parthenium Etymologi M. p.

260. 30. δείκελον Ἰφιγένης: qui fuit error Hemsterhusii ad Callimachi Fragm. p. 489. Ern. Valcken. ad Callim. Eleg. p. 79. et Buttmanni Grammat. Gr. maj. p. 207. Nec magis dixerunt Graeci Ἀντιγένη, Καλλιγένη et alia ejusdem generis. Cf. Seidler ad Eurip. Electr. p. 133. De Polydamna, cujus causa excitavit Euphorionis verba Scholiastes, vide Wessel. ad Diod. Sic. I. p. 109. Themist. XVI. p. 209. B. et Justinum Mart. ad Gent. p. 20. fin., qui eam Θέωνος uxorem vocat, rectius Θῶνος. Quaeritur autem, qui sit ille, quem Euphorio βλαψίφρονα φάρμακα miscuisse dicit. Equidem Junonem intelligam, privignum suum medicaminum ope in insaniam conjecturam. Itaque vide an Fragm. XIV. probabiliter ita cum nostris versibus conjunxerim:

Ἦη ταυροπίρωτι Διωνύσῳ κοτέσασα
Ῥειώνη ἄμυδις βλαψίφρονα φάρμακα χεῦεν,
Ὅσσ' ἐδάη Πολύδαμνα, Κυταιὰς ἢ ὅσα Μήδη.

Ῥειώνην, Rheae filiam, Junonem ex Euphorione afferunt Grammatici, de quo infra.

XI.

Ἴχνος ἂν Ὠρυχίοισιν ἐν ἔρκεσιν ὀκλάσσαιντο.

Stephanus Byzant. s. v. Ὠρύχιον p. 734. Pin. Ὠρύχιον, τόπος τῆς Ἀττικῆς. τὸ τοπικὸν Ὠρύχιος. Εὐφορίων ἐν Διονύσῳ· Ἴχνος ἐν Ὠρυχίοισιν ἔρκεσιν ὀκλάσσαντο. Cod. Rehdig. ἴχνος Ὠρ. ἐν ἔρκ.

ὀκλ. Alii MSS., monente Berkelio, ἴχνος ἂν Ὠρ. ἐν ἕρκ., quod recepi. Praeterea scripsi ὀκλάσσαιντο.

XII.

Ἄκτιος Αἰγεύς.

Idem s. v. Ἀκτή p. 55. Pin. τὸ ἐθνικὸν Ἀκταῖος ἔστι καὶ Ἄκτιος Αἰγεύς, ὡς Εὐφορίων Διονύσῳ. Fort. ἔστι καὶ Ἄκτιος. ὡς Ἄκτιος Αἰγεὺς, Ε. Δ. De Ἄκτιος pro Ἀττικός quantum satis est dixere Meursius ad Lycophr. III. et Heinsius ad Ovidii Fast. I. 711.

XIII.

Idem s. v. Λύκαψος p. 429. Pin. Λύκαψος, κώμη πλησίον Λυδίας. Εὐφορίων Διονύσῳ.

His alia quaedam fragmenta subjiciam, quae ex eodem carmine ducta esse, non sine magna veri specie suspiceris.

XIV.

Ὕῃ ταυροκέρωτι Διωνύσῳ κοτέσασα.

Schol. Arati Phaen. 172. ἡ δὲ προσωνυμία ἐστὶν (ταῖς Ὑάσιν) ὅτι τὸν Διόνυσον ἀνεθρέψαντο. Ὕης δὲ ὁ Διόνυσος. Εὐφορίων· Ὕῃ ταυροκέρωτι κ. τ. λ. Erat Διονύσῳ. Ad κοτέσασα intellige Junonem, ut monuit Lobeckius de Morte Bacchi II. p. 1., ubi docte disseruit de Ὕης Dionysii cognomine. Adde Valesium ad Harpocr. p. 101. Idem spectat Hesychius: Γύης Διόνυσος., ut recte cor-

rigunt pro *Διόνυσος*. Hyades Liberi nutrices primus, opinor, omnium Pherecydes dixerat apud Schol. ad Germanici Arat. p. 55. Buhl. et apud Hygin. Astron. Poet. II. 21., ubi male vulgatur *Junoni* pro *Jnoni*. V. Ti. Hemst. ad Lucian. I. p. 512.

XV.

— — — — *Ἐν πυρὶ Βάκχον*
Δῖον ὑπὲρ φιάλην ἐβάλοντο. — —

Tzetzes ad Lycophr. 320. *Τιτᾶνες τὰ Διονύσου μέλη, ἃ διεσπάραξαν, Ἀπόλλωνι ἀδελφῷ ὄντι αὐτοῦ παρέθεντο ἐμβαλόντες εἰς λέβητα, ὁ δὲ παρὰ τῷ τρίποδι παρέθετο, ὡς φησι Καλλίμαχος. καὶ Εὐφορίων λέγει· Ἔμ πυρὶ Βάκχου δῖον ὑπὲρ φιαλὴν ἐβάλοντο.* Eadem narrat, omissis tamen poetarum testimoniis, Etymol. M. p. 255. 14. In Euphorionis versu Muellerus dedit *ἐνεβάλοντο*. Duo Codd. *ἐβάλλοντο*. Improsperam Creuzeri Dion. I. p. 12. conjecturam merito ad quisquilias rejecit Lobeckius de Morte Bacchi I. p. 13., qui ipse locum ita constituit:

Ἐν πυρὶ Βακχέα δῖον ὑπὲρ φιάλης ἐβάλοντο.

quod juvatur quodammodo Codd. Vit. et Ciz. *Βάκχης* pro *Βάκχον* offerentibus: *φιάλης* necessarium videtur. Ingeniose tamen Muellerus de Tripode Delph. p. 11. *ὑπερφίαλοι ἐβάλοντο*. De Baccho novercae impulsu et consilio a Titanibus lacerato disseruit Lobeckius l. c. cll. Munkero ad

Hygin. p. 225. Symbolicam fabulae interpretationem spectat etiam Plutarchus de Usu Carn. p. 996. c. *τὰ γὰρ δὴ περὶ τὸν Διόνυσον μεμυθευμένα πάθη τοῦ διαμελισμοῦ, καὶ τὰ Τιτᾶνων ἐπ' αὐτὸν τολμήματα — ἀνηγμένος ἐστὶ μῦθος εἰς τὴν παλιγγενεσίαν. τὸ γὰρ ἐν ἡμῖν ἄλογον καὶ ἄπακτον καὶ βίαιον, οὐ θεῖον ἀλλὰ δαιμονικὸν οἱ παλαιοὶ Τιτᾶνας ὠνόμασαν.* ubi frustra viros doctos conjectasse *ἠνιγμένος ἐστὶ μῦθος*, docet, qui eandem Bacchicae fabulae interpretationem attulit, Origenes c. Cels. IV. p. 171., ubi memoratis Titanum insidiis et Bacchi laceratione, ita pergit: *ἢ Ἕλλησι μὲν ἔξεστι τὰ τοιαῦτα εἰς τὸν περὶ ψυχῆς ἀνάγειν λόγον καὶ τροπολογεῖν, ἡμῖν δὲ ἀποκέκλεισται θύρα ἀκολούθου διηγήσεως;*

XVI.

Etymol. M. p. 687. 26. *ὁ δὲ Εὐφορίων οὐκ ὀρθῶς λέγει περὶ τοῦ Διονύσου, ὅτι ταῖς γυναικῶν τάξεσιν ἐγκελευσάμενος ἐπρήνιξε τὴν Εὐρυμέδοντος πόλιν. τουτέστι τὸ Ἄργος. Εὐρυμέδων δὲ ὁ Περσεὺς ἐκαλεῖτο.* Hoc fragmentum ex ea Dionysi parte ductum videtur, ubi poeta Bacchum contra Persea Mycenis potitum bellantem fecerat. Mulieres autem intelligo eas, de quibus Diodorus Sic. IV. 4. *κατὰ δὲ τὰς στρατείας πλῆθος περιάγεσθαι, καθωπλισμένων λόγχαις τεθυρσωμέναις.* Eusebius apud Sync. p. 162 C. *γράφεται Διόνυσος θηλόμορφος διὰ τὸ μεξόθηλύστρατον* (leg. *μιξόθηλυν στρατὸν*) *ὁπλίζειν.* Excitavit autem Gram-

maticus Euphorionis verba propter metaphoricum usum vocis πρηνίζειν. Zonaras Lex. II. p. 1585: πρηνιχθῆναι τὸ ἐπὶ πρόσωπον πεσεῖν, μεταφορικῶς δὲ καὶ εἰς γόνυ κλιθῆναι· ἐπρήνιξε τὴν Εὐρυμέδοντος πόλιν. Imitatus est Nonnus Lib. LVIII. p. 1242.

Καὶ νύ κεν Ἄργος ἔπερσε καὶ ἐπρήνιξε Μυκήνας.

Quem locum indicavit Lobeckius de M. B. I. p. 13. Adde Lib. XI. 221. XVIII. 299. XXIII. 88. et Valcken. ad Herod. VI. 27. — Aliud fragmentum probabiliter e Dionyso petitum vide infra Nro. LXVII.

ΕΠΙΚΗΔΕΙΟΝ ΕΙΣ ΠΡΩΤΑΓΟΡΑΝ.

XVII.

Diogenes Laert. IX. 56. γέγονε δὲ καὶ ἄλλος Πρωταγόρας, ἀστρόλογος, εἰς ὃν καὶ Εὐφορίων ἐπικήδειον ἔγραψε.

ΗΣΙΟΔΟΣ.

Commemorat Suidas. Vide quae supra diximus.

ΙΠΠΟΜΕΔΩΝ.

XVIII.

Τοῖος γὰρ Κυγχρεῖος ἐνὶ ψαφαρῇ Σαλαμῖνι.

Tzetzes ad Lycophr. 451. ὁ Κυχρεὺς ἢ Κυγχρεὺς Σαλαμῖνος καὶ Ποσειδῶνος ὑπῆρχεν υἱός.

ἐβασίλευε δὲ Σαλαμινίων, ὡς φησιν Εὐφορίων ἐν Ἱππομέδοντι Τοῖος γὰρ κ. τ. λ. Codd. Vit. I. et Ciz. τοῖος γὰρ ἦν Κυγχρεύς Fort. τοῖος ἄρ' ἦν Κυγχρεύς ποτ' ἐνὶ ψ. Σ. vel Κυγχρεύς, ὅς ἐνί —. Ad eundem versum respexere Phavorinus: Κυχρῆος, Κυχρεὺς Σαλ. καὶ Ποσ., ἐβάσ. δὲ Σαλ. ὡς Εὐφορίων φησι. Eudocia Jon. p. 263. et iterum Tzetzes ad Lyc. 110. Κυχρεὺς δὲ ὁ Ποσ. κ. Σαλ. υἱός, ὡς φησιν Εὐφορίων, ἀνεῖλε τὸν δράκοντα (qui Salaminem devastabat) καὶ τὴν τῆς Σαλαμῖνος βασιλείαν κατέσχε. Quam fabulam mirifice variatam esse ostendit Stephanus Byzant. p. 406. ubi Cychrea propter morum et animi asperitatem (διὰ τραχύτητα τῶν τρόπων) Ὄφεως cognomen traxisse et ab Eurylocho insula expulsum fuisse legimus, quo facto Ceres eum receptum Eleusinio templo praefecisse dicitur. Quae ducta videntur ex Hesiodo. Strabo IX. p. 393. Alm. ἀφ' οὗ δὴ (leg. δέ. vide quae praecedunt) καὶ Κυχρείδης ὄφις, ὃν φησιν Ἡσίοδος τραφέντα ὑπὸ Κυχρέως ἐξελαθῆναι ὑπὸ Εὐρυλόχου κ. τ. λ. Cum Stephano Byzant. convenit Eustath. ad Dionys. Per. 512. Ὄφις μὲν ἐπεκλήθη διὰ τραχύτητα τόπου (leg. τρόπου) ἀπηλάθη δὲ τῆς νήσου ἀπὸ (ὑπὸ) Εὐρυλόχου. Ab his mirum quantum discrepat Etymol. M. p. 707. 42. Σαλαμὶς, πόλις, ἀπὸ Σαλαμῖνος τῆς Ἀσωποῦ θυγατρός, ὃς ἐλθὼν εἰς Σαλαμῖνα καὶ εὑρὼν Ὄφιν βασιλέα ἀνεῖλε καὶ αὐτὸς ἐβασίλευε. ubi post θυγατρὸς excidisse videntur verba: ἥτις Ποσειδῶνι μιγεῖσα ἐγέννησε

Κυγχρέα, ὅς κ. τ. λ. In nomine ipso ita variatur, ut alii Κυγχρεὺς, alii Κυχρεὺς scribant. V. Verheick. ad Anton. Lib. p. 252. et Heynium ad Apollod. p. 341. Recte autem ψαφαρὴν h. e. asperam et confragosam dicit Salamina. Ψαρῇ, fortasse calami errore, citat Blomfield ad Aesch. Pers. 576. Nicander Alex. 145. Ψαφαρῆς ἐκ ῥιζία γαίης, ubi Schol. πετρωδοῦς καὶ ὀρεινῆς. Archestratus apud Athen. p. 320. a. ἐνὶ ψαφαρῇ Τειχιοέσσῃ. Cognata potestate σποδὸν ψαφαρὰν aridam dixit Aeschylus S. c. Th. 312. et Eratosthenes apud Heracl. de Alleg. p. 165. ζώνην ψαφαρήν, zonam corridam. Josephus Ant. Jud. VIII. p. 460. ἀνακαῆναι καὶ τὸ ὕδωρ καὶ ψαφαρὸν γενέσθαι τὸν τόπον. Phrynichus autem App. Soph. p. 116. ψαφαρὸν τὸ ἁπαλόν. Πλάτων Ποιητῇ Leg. ψαθαρόν. V. Etymol. M. et Hesych. s. v.

ΘΡΑΞ.

XIX.

Τὸν μὲν ἄρ' ἐκ φλοίσβου Ἀσβώτιοι ὦκα φέροντες
ὑστάτιον ῥώσαντο κονισαλέῃσιν ἐθείραις
ἵπποι καλὰ νάουσαν ἐπορνύμενοι Φυγάδειαν.

Stephanus Byzant. s. v. Ἀσβώτιος p. 120. Ἄσβωτοι πόλις Θεσσαλίας· τὸ ἐθνικὸν Ἀσβώτιος. Εὐφορίων Θρακί. Τὸν μὲν ἄρ' — ἐπορνύμενοι φυγάδειαν. περὶ τῶν ἵππων Ἀμφιαράου. De Amphiarai equis etiam Schol. Pind. Olymp. VII. 21.

τοὺς δὲ ἵππους αὐτοῦ φησιν Ἀντίμαχος εἶναι ἀσυστάτους, οἱ δὲ Θεσσάλους, ὀνόματα δὲ αὐτῶν Θόης καὶ Δίας (ἀ δίομαι). Ubi nescio, an corruptum sit ἀσυστάτους. Antimachea apud Schellenbergium non reperio. Thessalorum equorum praestantia in vulgus nota. Poeta lyricus apud Plutarch. Quaest. Conv. p. 748. B. ἀπέλαστον ἵππον ἢ μίν Ἀμυκλαίαν ἀγωνίῳ ἐλελιζόμενος ποδὶ κ. τ. λ., ubi corrigunt Θεσσαλὸν ἵππον. Rectius, opinor, Πελασγὸν ἵππον h. e. Argivum. V. 2. rarissimam vocem κοπσάλεος Euphorion Antimachi exemplo adscivisse videtur. V. Etymol. M. p. 261. sive apud Schellenberg. p. 109., qui recte opinor scripsit κοπισσάλεος, sigma duplicata. Vs. 5. vulgo φυγαδείαν fugam, quod casu retinuit Lobeckius ad Phryn. p. 385. Fontis nomen hic latere certissimum est. Monuerunt etiam Ruhnk. Epist. ad Ernest. a Tittm. ed. p. 22. et Jacobsius Anth. Gr. III. 3. p. 894., quorum ille comparat Callim. Lav. Pall. 47., ubi φυσάδεια dicitur et cum Amymone conjungitur. Ruhnkenius utroque loco malit Φιγαλείαν, quod primam producit apud Lycophr. 212. corripit apud Rhianum Stephani Byzant. s. v. p. 697.:

Τὴν μὲν ἀγήγετ' ἄποιτιν ἐπὶ κρανὴν Φιγάλειαν,

ubi vide ne Φιάλειαν scripserit poeta, qua forma, si brevis syllaba requireretur, ubique usos esse poetas crediderim. Cfr. Epigramma apud

Athen. p. 629. a. et Wesseling. ad Diodor. Sic. XV. 40. p. 33. Adde quod Phigalea, si vel maxime hoc nomine fontem fuisse credamus, in Arcadia potius quam in Argis quaerenda fuerit, quod ineptum esset in Callimachi loco, ubi Argivum fontem commemorandum fuisse quis non videt? Retinendum igitur in Callimachi loco Φυσάδεια, idemque Euphorioni restituendum. Quaeritur autem, ex quo proelio poeta Amphiaraum fuga servari faciat; sin ex Thebano, luculento locus est documento, quantum Euphorio in fabulis pro arbitrio vel fingendis vel mutandis licere sibi putaverit.

XX.

Parthenius Erot. XIII. p. 35. *Περὶ Ἀρπαλύκης. Ἱστορεῖ Εὐφορίων Θρᾳκὶ καὶ Δεκτάδας. Κλύμενος δὲ ὁ Τελέως ἐν Ἄργει, γήμας Ἐπικάστην γεννᾷ παῖδας, ἄρρενας μὲν Ἴδαν καὶ Θήραγρον, θυγατέρα δὲ Ἀρπαλύκην, πολύ τι τῶν ἡλίκων θηλειῶν κάλλει διαφέρουσαν. Ταύτης εἰς ἔρωτα ἐλθὼν Κλύμενος χρόνον μέν τινα ἐκαρτέρει καὶ περιῆν τοῦ παθήματος. ὡς δὲ πολὺ μᾶλλον αὐτὸν ὑπέῤῥει τὸ νόσημα, τότε διὰ τῆς τρόφου κατεργασάμενος τὴν κόρην λαθραίως αὐτῇ συνῆλθεν. Ἐπεὶ μέντοι γάμου καιρὸς ἦν, καὶ παρῆν Ἀλάστωρ, εἷς τῶν Νηλειδῶν, ἀξόμενος αὐτήν, ᾧ καθωμολόγητο, παραχρῆμα μὲν ἐνεχείρισε, πάνυ λαμπροὺς γάμους δώσας. Μεταγνοὺς δὲ οὐ πολὺ ὕστερον διὰ τὸ ἄκφρων εἶναι παταθεῖ τὸν Ἀλάστο-*

ρα καὶ περὶ μέσην ὁδὸν αὐτῶν ἤδη ὄντων, ἀφαιρεῖται τὴν κόρην, ἀγόμενός τε εἰς Ἄργος ἀναφανδὸν αὐτῇ ἐμίσγετο. ἡ δὲ δεινὰ καὶ ἔκνομα πρὸς τοῦ πατρὸς ἀξιοῦσα πεπονθέναι, τὸν νεώτερον ἀδελφὸν κατακόπτει καί τινος ἑορτῆς καὶ θυσίας παρ' Ἀργείοις τελουμένης, ἐν ᾗ δημοσίᾳ πάντες εὐωχοῦνται, (καὶ) τότε σκευάσασα τὰ κρέα τοῦ παιδὸς παρατίθησι τῷ πατρί· καὶ ταῦτα δράσασα αὐτῇ μὲν εὐξαμένη θεοῖς ἐξ ἀνθρώπων ἀπαλλαγῆναι, μεταβάλλει τὴν ὄψιν εἰς καλχίδα ὄρνιν. Κλύμενος δὲ ὡς ἔννοιαν ἔλαβε τῶν συμφορῶν διαχρῆται ἑαυτόν.

Fallitur Bastius Epist. crit. p. 231. eandem fabulam ab Antonino Lib. IV. expositam dicens. Alios auctores sequutus est Hyginus Fab. 206. p. 284., ubi Clymenus non Telei sed Schoenei filius dicitur et suam ipse filiam occidit. Cfr. Salvagnius ad Ovidii Ibin. 547. In postremis Parthenii verbis legendum χαλκίδα non καλχίδα. Vide Schneideri Lex. Gr. s. v. Denique pro Dectada, qui eandem fabulam narrasse dicitur, recte, ut videtur, Galeus dedit Λιυχίδας, qui notissimus est historicus. V. Schol. Pindari N. IX. 30. et Aristoph. Vesp. 870. cll. Vossio de Hist. Gr. III. p. 274. Bastius Epist. crit. l. c. malit Ἀθανάδας.

V.

Idem XXVI. p. 61. Περὶ Ἀπριάτης. Ἱστορεῖ Εὐφορίων Θρᾳκί. Ἐν Λέσβῳ παιδὸς Ἀπριάτης

Τράμβηλος, ὁ Τελαμῶνος, ἐρασθεὶς πολλὰ ἐποιεῖτο εἰς τὸ προσαγαγέσθαι τὴν κόρην· εἰς δ' ἐκείνη οὐ πάνυ ἐνεδίδου, ἐνοχλεῖ τὸ δόλῳ καὶ ἀπάτῃ περιμένεσθαι αὐτῆς. Πορευομένην οὖν ποτε σὺν θεραπαινιδίοις ἐπί τι τῶν παρῴων χωρίων, ᾗ πλησίον τῆς θαλάσσης ἔκειτο, λοχήσας εἷλεν. ὡς δὲ ἐκείνη πολὺ μᾶλλον ἀπεμάχετο περὶ τῆς παρθενίας, ὀργισθεὶς Τράμβηλος ἔρριψεν αὐτὴν εἰς τὴν θάλασσαν· ἐτύγχανε δὲ ἀγκυροβόλος οὖσα· καὶ ἡ μὲν ἄρα αὐτὸς ἀπολώλει. Τινὲς μέντοι ἔφασαν, δυσκομένην ἑαυτὴν ῥῖψαι. Τράμβηλον δὲ οὐ πολὺ μετέπειτα τίσις ἔλαβεν ἐκ θεῶν. Ἐπειδὴ γὰρ Ἀχιλλεὺς ἐκ τῆς Λέσβου πολλὴν λείαν ἀποτεμόμενος ἤγαγεν, οὗτος ἐπαγομένων αὐτὸν τῶν ἐγχωρίων βοηθὸν, συνίσταται αὐτῷ· ἔνθα δὴ πληγεὶς εἰς τὸ στέρνα πασχρῆμα πίπτει. Ἀγάμενος δὲ τῆς ἀλκῆς αὐτὸν Ἀχιλλεὺς ἔτι ἔμπνουν ἀνεκόμισεν, ὅστις τε ἦν καὶ ὁπόθεν. Ἐπεὶ δὲ ἔγνω παῖδα Τελαμῶνος ὄντα, πολλὰ κατοδυράμενος ἐπὶ τῆς ἠϊόνος μέγα χῶμα ἔχωσε. Τοῦτο ἔτι νῦν ἡρῷον Τραμβήλου καλεῖται. Similia ex Istro narrat Tzetzes ad Lycophr. 468. a Galeo laudatus. Idem notavit Strambelum non Trambelum legi apud Athen. II. p. 43. d. ubi vide Schweigh.

XXII.

Stephanus Byzant. p. 216. Ὀγκαῖαι πύλαι Θηβῶν. Εὐφορίων Θρακί. Ὄγκα γὰρ ἡ Ἀθηνᾶ κατὰ Φοίνικας. De Minerva Ὄγκα dicit Kuhnius ad Pausan. IX. p. 154. Aegyptiacam vocem di-

cit Schol. Aeschyli S. c. Th. 492. Phoenicicam Schol. Pind. Olymp. II. 44. Oneaeas portas, quas Oncaidas vocat Apolled. III. p. 282., ab Ogygiis non diversas esse recte statuit Porsonus ad Eurip. Phoen. p. 350. Lips.

ΙΣΤΟΡΙΚΑ ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ.

XXIII.

Athenaeus Lib. IV. p. 154. c. *Εὐφορίων δὲ ὁ Χαλκιδεὺς ἐν Ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν οὕτω γράφει. Παρὰ δὲ τοῖς Ῥωμαίοις προτίθεσθαι πέντε μνᾶς τοῖς ὑπομένειν βουλομένοις τὴν ἀσφαλῆν ἀποκοπῆναι πελέκει, ὥστε τοὺς κληρονόμους νομίσασθαι τὸ ἆθλον· καὶ πολλάκις ἀπογραφομένους πλείους, δικαιολογεῖσθαι καθ' ὃ δικαιότατός ἐστιν ἕκαστος· αὐτὸς ἀποτυμπανισθῆναι.* Ex Athenaeo profecit Eustathius ad Odyss. p. 1857. Confer Roberti Titii Assert. V, 14. p. 120.

XXIV.

Idem Lib. XV. p. 700. d. *Εὐφορίων δ' ἐν Ἱστορικοῖς ὑπομνήμασι, Διονυσίου φησι τὸν νεώτερον Σικελίας τύραννον Ταραντίνοις εἰς τὸ Πρυτανεῖον ἀναθεῖναι λυχνεῖον δυνάμενον καίειν τοσούτους λύχνους, ὅσος ὁ τῶν ἡμερῶν ἐστιν ἄριθμος εἰς τὸν ἐνιαυτόν.*

XXV.

Aelianus H. A. XVII. 28. *Εὐφορίων δὲ ἐν τοῖς Ὑπομνήμασι λέγει τὴν Σάμον ἐν τοῖς παλαιοτά-*

τοις τοῦ χρόνου ἐρήμην, γενέσθαι τε ἐν αὐτῇ θηρία μεγέθει μὲν μέγιστα, ἄγρια δὲ καὶ προσπελάσαι τῷ δεινά, καλεῖσθαι δὲ (fort. γε) μὴν νηάδας, ἅπερ οὖν καὶ μόνῃ τῇ βοῇ ῥηγνύναι τὴν γῆν. παροιμίαν οὖν ἐν τῇ Σάμῳ διαῤῥεῖν τὴν λέγουσαν· Μεῖζον βοᾷ τῶν νηάδων. Ὀστᾶ δὲ ἔτι καὶ νῦν αὐτῶν δείκνυσθαι μεγάλα ὁ αὐτός φησι. Vides quae hodie vocamus ossa Mammutina, quorum effodiendorum frequens Samiis fuit opportunitas, quum eam insulam metallorum fodinis si quam aliam abundasse constet. Vide Pollux VII. 99. et Valesius ad Harpocrat. p. 108. Eodem spectare videntur Gigantum ossa apud Sueton. Aug. 72. et immanis magnitudinis costae corporum humanorum in Dalmatia repertae teste Phlegonte Trall. cap. 12. 15. Conf. Creuzeri Comment. Herodot. p. 391. Quas Aelianus νηάδας vocat easdem haud scio, an rectius Heraclides Polit. p. 518. dicat νηΐδας, quo ducit etiam Photius Lex. 218. ἐν Σάμῳ δὲ θηρία γενέσθαι φασίν, ὧν φθεγγομένων ῥήγνυσθαι τὴν γῆν. ἐκαλοῦντο δὲ νηΐα ὠσεῦται ἄν. Apogr. D. ὡς Ἐνταῖων, ut Suidas, ubi recte Kusterus ὡς Εὐφορίων. Mirifice corruptus est Apostolius Proverb. XI, 12., ubi proverbium illud ita legitur: καὶ μία μείζων βία τῶν Μηνιάδων, ἐπὶ τῶν ἀφορήτοις περιπεσόντων δεινοῖς. Ex iis, quae statim addit Apostolius, emendandus est Aelianus, apud quem male legitur ἐρήμην γενέσθαι τε ἐν αὐτῇ, pro quo recte Apostolius habet ἐρήμην γενέσθαι,

φανῆναί τε ἐν αὐτῇ κ. τ. λ. Pro Aelianeis ἄγρια δὲ καὶ προσπελάσαι τῷ δεινὰ, idem habet ἄγρια δὲ προσπαλαῖσαι. Quod autem Μηνιάδας vocat Apostolius belluas istas pro νηάδας vel νηΐδας, id fluxit ex vitioso, quo usus est, Aeliani codice, in quo scriptum invenerat καλεῖσθαί γε Μηνιάδας pro καλεῖσθαί γε μὴν Νηάδας.

Alia fragmenta probabiliter ex iisdem commentariis petita in Incertis exhibui.

ΛΕΞΙΣ ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ.

XXVI.

Erotianus Expos. Voc. Hipp. p. 104. βλιχῶδες, Ἐπικλῆς μέν φησι τὸ λελιπασμένον μετὰ γλοιώδους ὑγρασίας ἀκαθάρτου, Εὐφορίων δὲ τὸ ἐκπεπιεσμένον καὶ κατάξηρον. Vide Foesium Oecon. Hipp. p. 132. b.

ΜΟΨΟΠΙΑ Η ΑΤΑΚΤΑ.

XXVII.

Choeroboscus apud Bekker. Anecd. Gr. III. p. 1194. εἰ γὰρ καὶ εὕρηται τὸ λὶς συνεσταλμένον ἔχον τὸ ῑ, ὡς ἐπὶ τοῦ· ὥστε λὶς ἠϋγένειος, ποιητικῶς, ὡς παρ' Εὐφορίωνι ἐν μομψοπίᾳ (Μοψοπίᾳ) ὡς ἐπὶ τοῦ οἱ ἐπιθύουσι βῶν λὶς, καὶ πάλιν· Κάπροι τε λίες τε. ἀλλ' οὖν καὶ ἐκτεταμένον ἔχει αὐτό. ὡς ἐπὶ τοῦ λῖες μέντοι λίεσσιν. Haec, nisi hariolatus est Choeroboscus, ita constitui debent:

εἰ γὰρ κ. σῦρ. τὸ λὶς συνεστ. ἔχον τὸ ῑ ποιητικῶς, ὡς παρ' Εὐφ. ἐν Μοψοπίᾳ ἐπὶ τοῦ·

Οἱ δ' ἐπιθύουσιν βωσὶν λίες — —

(vel simile quid) καὶ πάλιν·

— — — Κάπροι τε λίες τε.

ἄλλ' οὖν καὶ ἐκτεταμένον ἔχει αὐτῷ, ὡς ἐπὶ τοῦ· Ὥστε λῖς ἠυγένειος (Hom. Il. o'. 275. et alibi) καὶ ἐπὶ τοῦ· Λῖες μὲν ῥα λίεσσιν. Postrema Callimachi esse suspicor. Vide Schol. Venet. ad Iliad. p. 280., ubi editur αἱ μέν ῥα λίεσσιν, ex quo assumsi μέν ῥα pro μέντοι. Αἱ autem vides quam facile e λίες corrumpi potuerit.

ΞΕΝΙΟΝ.

XXVIII.

Schol. Apollonii Rh. II. 354. Ἡρόδωρός τε καὶ Εὐφορίων ἐν τῷ Ξενίῳ ἐκείνῃ (apud Heracleam Ponticam) φασὶ τὸν Κέρβερον ἀνῆχθαι ὑπὸ τοῦ Ἡρακλέους καὶ ἐμέσαι χολήν, ἐξ ἧς φυῆναι τὸ καλούμενον ἀκόνιτον φάρμακον. Aelius Promotus MS. apud Schneiderum ad Nicandri Alex. p. 623. τὸ ἀκόνιτον φύεται μὲν ἐν Ἀκόναις· λόφος δέ ἐστιν ἐν Ἡρακλείᾳ οὕτω καλούμενος Ἀκόναι, ὡς ἱστορεῖ Θεόπομπος καὶ Εὐφορίων ἐν Ξενίῳ. Fort. respexit hunc locum Zonaras Lex. I. p. 108. ἀκόνιτον. Εὐφορίων λέγει τὴν βοτάνην ἣν οὐδεὶς δύναται κονίσαι· et mox p. 110. ἀκόνιτον, εἶδος βοτάνης δηλητηριώδους. Ἀλλὰ πιὼν ἀκόνι-

τον ὑπέκφυγε τοῦτ' ἀκονιτί. Qui versus, cujus sedes fugit Tittmann., est Diogenis Laertii Lib. V. p. 273. Eadem de aconiti origine et nomine narrat Plinuius H. N. 27. 3. cll. Intpp. Ovidii Metam. VII. 407. et Meursio in Theophr. Cap. 5. De infernalibus prope Heracleam fauctibus multa veterum scriptorum testimonia prostant, ex quibus totam illam regionem subterraneis ignibus olim expositam fuisse conjicias. Conf. Spanhemius ad Callim. in Del. 291. et Salmasius Exercitt. Plin. p. 623. Acherusiam paludem iisdem in locis commemorat Etymol. M. p. 180. fin.

ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΑΛΕΥΑΔΩΝ.

XXIX.

Clemens Alex. Strom. I. p. 389. Sylb. Εὐφορίων δὲ ἐν τῷ περὶ Ἀλιάδων κατὰ Ἴυγην αὐτὸν (Homerum dicit) εἰδῆσαι γεγονέναι. Recte Valesius ad Harpocr. p. 75. et Toupius ad Schol. Theocr. p. 519. Ber. corrigunt Ἀλευαδῶν; sic enim, non Ἀλευάδων scribere debebant, cujus erroris consortem nacti sunt praeter alios Marxium ad Ephor. p. 7., qui latine vertens Euphorionei libri titulum scripsit *de Aleuadibus*. Nec melius Burmannus ad Ovid. Vol. IV. p. 78. Editam lectionem Ἀλιάδων retinet non solum Vossius de Hist. Graec. I. p. 86., sed Scaliger in Συναγωγῇ ἱστορικῇ, notatus ob eam causam a Ruhnkenio ad Timaei Lex. Plat. p. 23.

XXX.

Schol. ad Theocr. Idyll. XVI. 34. τὰ δὲ περὶ Ἀλεύαν τὸν Σιμίου πάντα ἀνείλετο Εὐφορίων. ubi recte, ut videtur, Reiskius ἀνείλεκτο scripsit. Pro Σιμίου legendum videri Σίμου, alio loco propediem docebo. Aleuadarum familiae, de cujus historia alias explicatius dicam, cognatos fuisse Scopadas, tum aliunde constat, tum etiam Ovidius docet Ibi 513.

Lapsuramque domum subeas ut sanguis Aleuae
Stella Leoprepidae quum fuit aequa viro.

ubi vide, quae dixerunt interpretes. Hinc admodum probabile videri potest, in eodem de Aleuadis scripto, Euphorionem etiam nobilem illam et a multis commemoratam fabulam de Simonide praesenti Dioscurorum ope servato exposuisse. Quintil. Inst. X. 2. *Est autem magna inter auctores dissensio Glaucone Carystio an Leocrati an Agatharcho, an Scopae scriptum sit id carmen, et Pharsali fuerit haec domus, ut ipse quodam loco significare Simonides videtur, atque Apollodorus et Eratosthenes et Euphorio, an Crannone, ut Apollas et Callimachus.* Ita enim recte postrema verba correxit Bentlejus pro edito *ut Apollas Callimachus*, quod varie tentatum est ab editoribus. De Apolla, haud ignobili historico, vide Boeckhium Praef. ad Pind. Schol. p. XXIII. Ejusdem scriptoris Δελφικὰ ad partes vocat Clemens Alex. Protr. p. 14. Sylb. Ab eo diversus

videtur is, qui de Agrippa philosopho scripsit, testante Diogene Laert. X. 106. Scribendum autem ubique *Ἀπελλᾶς* sive *Ἀπολλᾶς* (nam haec nihil inter se differunt) accentu in ultimam reducto. Apud Galenum adeo *Ἀπελᾶς* legitur de Loc. affect. Vol. V. p. 500. Chart. — Simonidei carminis in Glaucum partem servavit, ni fallor, Lucianus Imag. c. 19. qui versus ita scribendi videntur:

Οὐ Πολυδεύκεος βία
χεῖρας ἀντείναιτ' ἂν αὐτῷ
οὐδὲ σιδάρεον Ἀλκμήνας τέκος.

Ad Pindarum haec male retulit Schneiderus; nec apud Gaisfordium reperio.

ΠΕΡΙ ΙΣΘΜΙΩΝ.

XXXI.

Athenaeus Lib. IV. p. 182. e. *Εὐφορίων δὲ ὁ ἐποποιὸς ἐν τῷ περὶ Ἰσθμίων, οἱ νῦν, φησί, καλούμενοι ναβλισταὶ καὶ πανδουρισταὶ καὶ σαμβυκισταὶ καινῷ μὲν οὐδενὶ χρῶνται ὀργάνῳ· τὸν γὰρ βάρωμον καὶ βάρβιτον, ὧν Σαπφὼ καὶ Ἀνακρέων μνημονεύουσι, καὶ τὴν μάγαδιν καὶ τὰ τρίγωνα καὶ τὰς σαμβύκας ἀρχαῖα εἶναι, ἐν γοῦν Μιτυλήνῃ μίαν τῶν Μουσῶν πεποιῆσθαι ὑπὸ Λεσβοθέμιδος ἔχουσαν σαμβύκην.* Eadem fere leguntur Lib. XIV. p. 655. a.

XXXII.

Athenaeus Lib. XIV. p. 633. f. *Περὶ σαμβύκης, ἔφη ὁ Μασσούριος, ὀξύφθογγον εἶναι μουσικὸν ὄργανον τὴν σαμβύκην, διειλέχθαι τε περὶ αὐτοῦ Εὐφορίωνα, τὸν αὐτὸν ἐποποιὸν* (fort. *τὸν καὶ ἐποπ.*) *ἐν τῷ περὶ Ἰσθμίων, χρῆσθαι φήσας αὐτῷ Πάρθους καὶ Τρωγλοδύτας τετραχόρδῳ ὄντι, ἱστορεῖν δὲ τοῦτο καὶ Πυθαγόραν ἐν τῷ περὶ Ἐρυθρᾶς θαλάσσης.* In quibus verbis, nisi participium *φήσας* a superioribus *Μασσούριος* pendere statuas, advertenda casuum enallage *Εὐφορίωνα — φήσας*, cujus generis permulta proštant exempla a viris doctis collecta, quae pluribus augere nihil attinet. Unam tamen apponam ex Anaxandridis ecloga apud Athen. Lib. IV. p. 131. c., ubi coquus, multae homo festivitatis, convivium describit, in quo adfuisse dicuntur *ἄνδρες βουτυροφάγοι αὐχμηροκόμαι μυριοπληθεῖς κ. τ. λ.* Tum inde a v. 17. ita pergit:

Ἀργᾶν δ' ᾄδειν καὶ κιθαρίζειν
Κηφισόδοτον τὸν Ἀχαρνῆθεν·
μέλπειν δ' ᾠδαῖς τοτὲ μὲν Σπάρτην
τὴν εὐρύχορον, τοτὲ δ' αὖ Θήβας
τὰς ἑπταπύλους
τὰς ἁρμονίας μεταβάλλειν.

ubi postrema verba male vertuntur *harmonias transferre.* Post *ἑπταπύλους* virgula incidendum et *μεταβάλλειν* in participium mutandum est. Ni-

mirum Cephisodotus alia utebatur harmonia cum Spartam, alia cum Thebas cantu suo celebraret; μεταβάλλειν autem proprium ac solenne verbum esse, quum quis musicos modos mutare dicitur, notissimum est. In eadem Anaxandridis ecloga, nihil enim impedit, quo minus paululum a via divertamus, v. 57. legitur:

μάραθ', ᾠά, φακῆ, τέττιγες ὀπτοί,
κάρδαμα, σήσαμα, κήρυκες, ἅλες.

ubi dubitare licet, an recte commemorentur τέττιγες ὀπτοί, cum assa cibaria jam supra inde a v. 45. ordine omnia enumeraverit. Gravius etiam est, quod eadem illa verba metro prorsus adversantur; quis enim τέττιγες secunda brevi recte dici crediderit? Legendum videtur;

μάραθ', ᾠά, φακῆ, τέττιγες, ὀπτοί,

quo nihil ad sensum loci magis idoneum. A versu 60. homo lepidus, adstante famulo et ad incredibilem illam ciborum varietatem stupente, etiam aviculas enumerat convivis appositas, ubi inter alia etiam commemorantur:

κίχλαι, κόρυδοι, κίτται, κύκνοι,
πελεκάν, κίγλοι, γέρανος· τουτουὶ
τοῦ χάσκοντος διατεινομένη
διὰ τοῦ πρωκτοῦ καὶ τῶν πλευρῶν
διακόψειεν τὸ μέτωπον.

Secundum versum in promptu esset corrigere τοῦ-

του pro *τουτοῦ*. Sed ad verum ducit Codicis lectio *τουτὶ* h. e. *τουδί*. Postremo versu fuit, qui corrigeret:

διακόψει ἂν τὸ μέτωπον,

quod vel ideo probari non potest, quod, observante Elmsleio ad Euripidis Med. p. 150., nunquam Attici poetae vocalem *ι* ante particulam *ἂν* eliserunt. Quod supra dicebam, in convivio illo adfuisse

ἄνδρας βουτυροφάγους
αὐχμηροκόμας μυριοπληθεῖς,

id feci meam ipse conjecturam sequutus. Vulgo enim inepte legitur *βούτυρόν φασ' αὐχμηροκόμας*. Lepide autem et verniliter poeta Thraces vocat *βουτυροφάγους*, utpote e re pecuaria victum quaerentes, fortasse etiam alludens ad Homericos *Γλακτοφάγους*.

ΠΕΡΙ ΜΕΛΟΠΟΙΙΩΝ.

XXXIII.

Athenaeus Lib. IV. p. 184. a. *Εὐφορίων δ' ὁ ἐποποιὸς ἐν τῷ περὶ μελοποιιῶν τὴν μὲν μονοκάλαμον σύριγγα Ἑρμῆν εὑρεῖν, τινὰς δ' Ἰστορεῖν Σεύθην καὶ Ῥωνάκην τοὺς Μήδους, τὴν δὲ πολυκάλαμον Σιληνόν, Μαρσύαν δὲ τὴν κηρόδετον.* Salmasius, notante Schweighaeusero, Exercitt. Plin. p. 584. b. postrema verba ita constituit: *τὴν δὲ πολυκάλαμον Σιληνὸν Μαρσύαν, τὴν κη-*

ρόδετον. Recte, ut equidem opinor. Certe non apparet, quid discriminis intercedere potuerit inter tibiam πολυκάλαμον et κηρόδετον. Idem de Sileno et Marsya dicendum. Praeterea legendum Σεύθην καὶ Ῥωνάκην τοὺς Μαίδους h. e. Thraces, ut recte monuit Schweighaeuserus ad Athenae. Vol. II. p. 320.

ΠΟΛΥΧΑΡΗΣ.

XXXIV.

— — Γαιζῆται περὶ δείρεα χρυσοφορεῦντες.

Etymol. M. p. 223. 16. Γαιζῆται, οἱ Γαλάται, παρὰ τὸ τὴν γῆν ζητεῖν. ἐκπεσόντες γὰρ τῆς ἑαυτῶν χώρας πολλὴν γῆν περιῆλθον ζητοῦντες ὅπη οἰκήσουσιν. Εὐφορίων ἢ Πολυχαρίη· ὅθεν καὶ· Γαιζῆται π. δ. χ. Corruptus et luxatus locus ita fere redintegrandus: ζητοῦντες ὅπη οἰκήσουσιν ὅθεν καὶ Γαιζῆται. Εὐφορίων ἐν Πολυχάρει. Γαιζῆται κ. τ. λ. nisi malis: ὅπη οἰκήσουσιν. Ἔστι δὲ ἔθνος χρυσοφοροῦν. ὅθεν καὶ Εὐφορίων etc. Steph. Byz. s. v. Γάζα — διὰ τοῦ η̄ (Γαζῆται), ἔθνος Γαλατῶν χρυσοφοροῦν, ὡς Εὐφορίων. Priora Etymol. M. verba sunt etiam apud Zonaram Lex. p. 417. In Euphorionis versu Sylburgius conjecit περιδέῤῥεα, quae vitiosa est forma e corruptis locis ducta, ideoque, quotiescunque occurrit, in περιδέῤῥαια mutanda, ut apud Grammat. Seguer. I. p. 388. Fort. leg. περὶ δειρὴν vel δειράδα.

XXXV.

Choeroboscus apud Bekk. An. Gr. III. p. 1381. *θρᾶνυξ θράνυκος ἐπὶ τοῦ θρόνου παρὰ Κορίννῃ. θρῆνυξ θρήνυκος ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ. καὶ ἔστιν ἡ χρῆσις παρ' Εὐφορίωνι ἐν Πολυχάρει.*

ΦΙΛΟΚΤΗΤΗΣ.

XXXVI.

Τὸν δ' ἐκάλυψε θάλασσα λιλαιόμενον βιότοιο,
καὶ οἱ πηχέες ἄκρον ὑπερφαίνοντο ταθέντες
ἀχρεῖα σπαίροντες ἅλις Δολοπιονίδαο
δυστήνου· ζωὴν δὲ μεθ' ὕδατος ἔμβαλε πᾶσαν
χεῖρας ὑπερπλάζων, ἅλμη δ' ἐκάλυψεν ὀδόντας.

Servavit Stobaeus Serm. LVIII. p. 377. Gesn. ed. 3. Tit. LIX. p. 226. Grot. — V. 2. Gesneri *ὑπερβαίνοντο*, qui operarum error est, propagatus inde in Florileg. Grotianum. Recte prima Gesn. *ὑπερφαίνοντο*. Elegans est Lobeckii conjectura ad Phryn. p. 338. *ἄκρ' ὑπερικταίνοντο*, sed non necessaria. — V. 3. sine causa Blomfieldius ad Aeschyli Pers. 189. *ἀχρεῖ ἀσπαίροντες*. Idem pro *ἅλις* dedit *ἁλός*, non male. — V. 4. fort. *ἔκβαλε* et sequenti versu *ἅλμη*. Quaeritur autem, qui sit ille, cujus obitum describit poeta, Dolopionides. Respondet pro nobis Hyginus Fab. CII. p. 164. *Philoctetem*, inquit, *pastor regis Actoris, nomine Phimachus, Dolophionis filius, nutrivit*, ubi legendum videtur: *Iphimachus Dolopionis filius.*

Ex eodem Euphorionis carmine etiam sequens fragmentum ductum videtur.

XXXVII.

Tzetzes ad Lycophr. 911. *Φιλοκτήτης δ' ἐξεσώθη εἰς Ἰταλίαν πρὸς Καμπανούς, καὶ πολεμήσας Λευκανοῖς πλησίον Κρότωνος καὶ Θουρίου Κρίμισσαν κατοικεῖ καὶ παυθεὶς τῆς ἄλης Ἀλαίου Ἀπόλλωνος ἱερὸν κτίζει ᾧ καὶ τὸ τόξον αὐτοῦ ἀνέθηκεν, ὥς φησιν Εὐφορίων.* Cod. alii *Ὠρίων*, alii *Ἀρίων*. De Apolline Alaeo vide Etymol. M. p. 58. 4. et Wesseling. ad Itiner. p. 490.

Probabile est Euphorionem etiam alia, quae de Philoctete in Italiam delato ferebantur, hoc carmine explicuisse, veluti quod de Eileniae Minervae templo a Philoctete condito narrat ex antiquis scriptoribus Etymol. M. p. 298. 26: *Εἰλενία Ἀθηνᾶ· Φιλοκτήτης γὰρ παραγενόμενος εἰς Ἰταλίαν ἱδρύσατο Εἰλενίας Ἀθηνᾶς ἱερόν.* Quod fanum prope Metapontum fuisse constat ex Aristot. de Ausc. T. II. p. 1098., ubi quod vulgo editur *ἱερὸν Ἀθηνᾶς Ἑλληνίας* correxit Ruhnk. ad Vellej. Pat. I. p. 3. ex Hesychio: *Ἐλλεσίη, ἡ Ἀθηνᾶ* Helleniam (*Ἑλληνίαν*) Minervam multum diversam illam ab Ellesia sive Eilesia, habes, ut Lycurgi legem omittam, in Tragici incerti loco apud Eustath. ad Hom. p. 515. Rom. Inepte autem Etymologus Eilesiae nomen Minervae inditum dicit *ἀπὸ τοῦ ἐν ἐκείνῳ συγκεκλεῖσθαι τῷ τόπῳ. παρὰ τὸ εἰλῶ οὖν Εἰλενία.* Mihi quidem

illius cognomenti haud alia causa fuisse videtur, quam quod templum illud in paludosis circa Metapontum locis conditum fuit, quemadmodum etiam Velea nomen a soli natura traxit. Eadem Hellotiae ratio, de quo recte iudicat Etym. M. p. 332. cll. Muellero de sacris Minervae Peliad. p. 7.

ΥΑΚΙΝΘΟΣ.

XXXVIII.

Πορφυρέη ὑάκινθε, σὲ μὲν μία φῆμις ἀοιδῶν
Ῥοιτείης ἀμάθοισι δεδουπότος Αἰακίδαο
εἴαρος ἀντέλλειν, γεγραμμένα κωκύουσαν.

Schol. Theocr. Idyll. X. 28. *τὸ πάθος τοῦ Αἴαντος ἀποφαίνει εἰς ὃ ἀπιδὼν Εὐφορίων εἶπεν· Πορφυρέη κ. τ. λ.* Eundem locum respexit Eustath. ad Hom. p. 285. *Εὐφορίων φησὶν ὅτι ἐκ τοῦ αἵματος τοῦ ῥυέντος ἐκ γῆς τοῦ Αἴαντος ὑάκινθος ἐξέφυ.* — V. 1. *πορφυρέη.* Ita Pancrates apud Athen. p. 677. f. *λευκὸν κρίνον ἠδ' ὑάκινθον πορφυρέην·* Quemnam potissimum florem veteres hyacinthum vocaverint, saepe multumque disputatum est; hoc certum est, eum ex iridum genere fuisse. Vide Salmasius ad Solin. p. 1042. Vossius ad Virgilii Ecl. II. 18. 50. III. 106. X. 39. et quos laudat Schweigh. ad Athen. Vol. VIII. p. 150. Sequuntur verba *σὲ μὲν μία φῆμις ἀοιδῶν.* Vulgatur *φάτις.* Sensit vitium Bochartus Hierozoico Tom. II. p. 728., sed male

corrigit: σὲ τοὔνομα φασὶν ἀοιδοί. Idem reperio apud Salmasium ad Solin. p. 733. B. Toupius Nott. ad Theocr. Schol. p. 218. σὲ μὲν φάτις ἐστὶν ἀοιδῶν. non male id quidem, sed vereor, ne invito poeta, qui cum dicit σὲ μὲν μία φάτις ἀοιδῶν, significasse videtur, se etiam reliquas fabulas, quas poetae de hyacinthi origine finxissent, in illo carmine explicaturum esse. Itaque recepi elegantem Hemsterh. ad Lucian. Vol. I. p. 240. correctionem, etiam Lobeckio ad Sophoclis Ajac. p. 564. probatam. — V. 2. Ῥοιτείης ἁμάθοισιν. Ita communis fama erat. V. Hemsterh. ad Lucian. I. p. 520. Ad sequentia δεδουπότος Αἰακίδαο mira scripsit Heinsius Lectt. Theocr. XVI. p. 351. „Non capio quomodo dicat Αἰακίδαο, non Αἴαντος" notatus ideo Valckenario ad Euripidis Phoen. 425., quem vide etiam ad Theocr. Adon. p. 440. B. sq. Omnino satis frequens est talium patronymicorum usus. Ita Perseus apud Ovidium Metam. IV. 771. a proavo vocatur Agenorides. De Protesilao Phylacide idem adnotavit Hemsterhusius ad Lucian. I. p. 426. — V. 3. εἴαρος ἀντέλλειν. Ita editum εἴαρος ἀντελλομένου verissime emendarunt Casaubonus Lectt. Theocr. p. 264. et Heinsius ad Ovidii Metam. X. 213. Mitto Salmasii rationem. Nostrum sequutus est etiam Hemsterh. ad Lucian. I. p. 240. qui primus omnium docuit locum vertendum esse *e sanguine Ajacis progerminasse*. Quem usum vocabuli εἴαρ ibidem docte illustravit. Denique

γεγραμμένα κωκύουσαν quo spectent obscurum esse non potest; hinc αἰαστὴν ὑάκινθον dixit Nicander apud Athen. XV. p. 683. e. simul ad Ajacis nomen alludens, Claudianus Rapt. Pros. II. 131. *Te quoque flebilibus moerens, Hyacinthe, figuris.*

Ceterum non vereor, ne quis audacius me fecisse dicat, quod hos versus a Scholiasta suppresso carminis nomine laudatos ad Hyacinthum retulerim. Eandem fuisse Reinesii sententiam, intelliges ex ejus Epist. ad Daum. LXXXV. p. 215.

XXXIX.

Κωκυτός τοι μοῦνος ἀφελκέα νίψεν Ἄδωνιν.

Photius Bibl. CXC. p. 471. Schott. ὅτι τὸ παρ' Εὐφορίωνι ἐν Ὑακίνθῳ ἀπορούμενον· Κώκ. μ. ἀφ. v. A. τοιοῦτόν ἐστι. Κώκυτος (ins. τις) ὄνομα Χείρωνος ἐπὶ τῇ ἰατρικῇ μαθητὴς ἐθεράπευσε τὸν Ἄδωνιν ὑπὸ τοῦ συὸς τρωθέντα. Quae si vera est interpretatio, facile intelligitur, non recte Burmannum composuisse hunc versum cum Propertianis Lib. II. 25. 91.

Et modo formosa qui multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lavit aqua,

quorum verborum longe alius sensus est. Scripsi autem cum Scaligero τοι pro τόν, quod deest in MS. apud Friedemannum de Media Syll. Pent. p. 345. Sed ne sic quidem locus persanatus est,

Quid enim est illud ἀφελκέα? Disjunctis quae male coaluerunt legendum videtur:

Κωκυτός τοι μοῦνον ἀφ' ἕλκεα νίψεν Ἄδωνιν.

Constructio prorsus Homerica. Iliad. XVI. 667. *κελαινεφὲς αἷμα κάθηρον ἐλθὼν ἐκ βελέων Σαρπηδόνα* et XVIII. 345. *Πάτροκλον λούσειαν ἄπο βρότον αἱματόεντα.* Similis medela Eupolidis versui admovenda apud Tiberium Rhet. p. 66. ubi disputat de *ἀλλοιώσει παρὰ τοὺς ἀριθμούς, ὡς παρ' Εὐπόλιδι ἐν Δήμοις·*

Ἅπασα γὰρ ποθουμένη κλεινὴ πόλις.

Doctissimus editor „locus non est integer: nam nunc ubi est *ἀλλοίωσις*? nisi forte leg. *ποθούμενοι.*" Habebat ante oculos quod quaerebat:

Ἅπασα γὰρ ποθοῦμεν ἡ κλεινὴ πόλις.

XL.

Πλευρά τε καὶ θώρηκα διήρικεν ἰνίου ἄχρις.

Schol. Pind. Nem. VII. 39. ad verba: *Αἴας ἔπαξε διὰ φρενῶν λευρὸν ξίφος] οὕτω καὶ Εὐφορίων τὴν πληγὴν ὑπεστήσατο. Πλευρά τε κ. τ. λ.* Hunc quoque versum non dubito, quin recte ad Hyacinthum retulerim, in quo carmine ut Ajacis obitus a poeta narraretur, consentaneum erat. Alium versum probabiliter ad idem carmen referendum vide infra Nro. LXXXIX.

ΧΙΛΙΑΔΕΣ.

XLI.

Καὶ Ψίλιν Ἀσκάνιόν τε [καὶ ὕδατα] Ναυαίθοιο.

Stephan. Byzant. s. v. *Ἀσκανία.* p. 122. *Ἔστι καὶ Ἀσκάνιος ποταμός. Εὐφορίων Χιλιάσι· Καὶ Ψιλοὶ Ἀσκάνιόν τε Ναυαίθοιο. Ψιλῆς Μυσίας, Ναύαιθος Ἰταλίας.* Recte Cod. Rhedig. in Euphorionis versu *Ψίλιν* et mox *Ψίλις*. Cfr. Stephan. s. h. v. et Strabon. XII. p. 56. Lips., ubi male editur *Ψίλλις*. Verba *καὶ ὕδατα* probabili conjectura addidit Friedemann de M. S. P. p. 557. De Nauaetho vide Cluverii Ital. Ant. II. p. 1315. Theocrito Id. IV. 24. dicitur *Νήαιθος*, cujus formae manifesta vestigia supersunt in hodierno fluvii nomine *Neeto*.

XLII.

— — — Φιλοπλοκάμοισι Δυμαίναις.

Idem s. v. *Δυμᾶν. Φῦλον Δωριέων — οἱ ἐνοικοῦντες Δυμᾶνες· καὶ Δυμανὶς τὸ θηλυκὸν καὶ Δύμαινα· Εὐφορίων Χιλιάσι· Φιλοπλοκάμοισι Δυμαίναις.* Postrema inde ab *Εὐφορίων* in Pinedi edit. desunt, e Cod. MS. adjecisse videtur Berkelius. Certe ita scriptum hunc locum exhibuit Toupius ad Suid. II. p. 480. Apposite Hesychius *Δύσμαιναι, αἱ ἐν Σπάρτῃ χωρίτιδες Βάκχαι.* ad quae respiciens opinor Blomfield. ad Aesch. S. c. Th. 281. *Δύσμαιναι*, inquit, *infausto fu-*

rore excitae. Imo vero legendum *Δύμαιναι*, ut peropportune monuit Toupius. Quae autem sunt illae *χωρίτιδες Βάκχαι*? Scribe potius: *χορίτιδες Βάκχαι.* Nimirum Dymanes fuerunt una ex tribubus Laconicae, ut tum aliunde constat tum ex iis, quae disputavit Hemsterhusius Aristoph. Plut. 385. cll. Eustathio ad Homer. p. 1644. 20. Hujus igitur tribus virginibus honoris causa Dianae sacra annuis saltationibus peragenda commissa videntur. Memorabile autem in Hesychii Codice non legi *αἱ ἐν Σπάρτῃ χωρίτιδες*, ut edidit Musurus, sed *αἱ ἐν Σπάρταις χ. Β.*, unde scribendum suspicabar *ἐν Καρύαις*, ut virgines illae Dymaenae Caryatidos Dianae sacerdotes fuerint, ex quo sequeretur eas non diversas fuisse a Caryatidibus, quibus sociantur etiam in titulo satyricae fabulae a Pratina editae apud Athen. X. p. 592. *Πρατίνας δὲ ἐν Δυμαίναις ἢ Καρυάτισι*, ubi editam lectionem praeter Toupium l. c. tuetur Bentl. ad Callim. Fragm. p. 558. Sed de hoc ut quisque volet statuat; illud certissimum videri debet, Dymaenas non minus, quam Caryatidas saltatrices fuisse Laconicas Dianae cultui sacratas. De Caryatidibus insignis est locus Pausaniae Lib. III. 10., qui docet eas anniversariis choreis Dianam celebrasse. Conf. Lucian. de Saltat. Vol. II. p. 272. Easdem Caryatidis deae sacerdotes innui suspicor apud Stephan. Byzant. p. 361., ubi adjectivi *Καρυᾶτις* exemplum ex incerto scriptore ponitur hoc: *Καρυᾶτις μέλισσα ἀντὶ τοῦ Λακω-*

φικῇ. Certe Ephesiae Artemidos sacerdotes *Melissas* vocatas fuisse constat e Lactantii Instit. I. 55., quod nomen etiam ad Caryatidis sive Laconicae Artemidos antistites translatum esse, nemo mirabitur, qui Pindarum Pyth. IV. 106. etiam Delphici Apollinis sacerdotem, Pythiam, *μέλισσαν* appellasse meminerit [15]). Cfr. Menagius ad Diogen. Laert. I. 94. Etymol. M. p. 577. 40. *λέγονται δὲ καὶ μέλισσαι αἱ ἱέρειαι παρὰ τῷ ποιητῇ.* Aut fallitur Grammaticus aut scribendum *παρὰ τοῖς ποιηταῖς.* Caryae autem, ubi Caryatidis Dianae sacrum summa religione colebatur, Peloponnesi fuerunt opidulum, in ipsis fere Laconicae et Arcadiae confiniis situm, cujus cives quum temporibus belli Peloponnesiaci identidem in adversariorum partes concessissent, postea a Lacedaemoniis recuperati ad internecionem deleti

---

15) Omnino apibus Graecos sanctum aliquid et providum inesse credidisse ex multis veterum non tam indiciis, quam testimoniis planissime perspicitur. Mitto alia a Lobeckio de Thriis Delph. I. p. 5. et Creuzero Symb. II. p. 184. occupata; coloniarum autem et omnino advenarum praenuncias a tota antiquitate habitas esse, tum proverbialis versus docet apud Phot. Lex. p. 373. *σειρὴν μὲν φίλον ἀγγίλλει ξεῖνον δὲ μέλισσα,* tum ex iis perspicue intelligitur, quae leguntur apud Plutarch. Brut. 39. Virgil. Aen. VII, 64. Plinium H. N. XI, 17. et alios.

sunt; id quod factum fuisse videtur Olymp. CIII. 1. Vide Xenoph. Hellen. VII, 1. 28. Spectat huc Photii locus Lex. p. 101. *τὰς δὲ Καρύας Ἀρκάδων οὔσας ἀπετέμνοντο Λακεδαιμόνιοι.* Cum Xenophonte congruit fere Vitruvius Lib. I, 1. nisi quod Persicorum bellorum aetate hoc factum narrat, neque a Lacedaemoniis, sed a Graecis Caryatarum urbem excisam fuisse tradit, quod a Persarum partibus stetissent, male id quidem et contra historiae fidem, quamquam simile quid observatum videtur Grammatico Anon. de Carm. Bucol. p. 3. Schaef. Xenophonteorum forte non memor erat Al. Hirtius in Museo Antiqu. Stud. I. p. 273., qui hac quidem in re Vitruvio fidem negare non debebat. Idem quum duas urbes Caryarum nomine dictas fuisse statuit, alteram Arcadiae, Laconicae regionis alteram, non animadvertisse videtur, secundo Pausaniae loco ineptam esse Caryarum commemorationem, aptissimam contra Caphyarum, quod Arcadiae fuit opidum prope ad Orchomenum. Vid. Sylburg. ad Lib. VIII, 14. 45. Idem error decepit Jos. Scaligerum ad Euseb. Chron. p. 20. A. ed. 1606. Illud autem verissime monitum arbitror a viro eruditissimo, et jam antea a Lessingio Opp. Vol. X. p. 369., Caryatidum signa veteres artifices ex ipsis illis saltantium virginum *σχήμασι* duxisse, qua in re non omittendus erat Athenaeus Lib. XIV. p. 629. b. priscorum artificum statuas *τῆς παλαιᾶς ὀρχήσεως λείψανα* dicens. Ac profecto si

quis apud animum suum reputaverit, quanto omnis generis decore saltantes illae virgines, manibus canistro admotis, solennes illas choreas peregerint, vix quidquam reperiet, ex quo prisci artifices felicius signorum suorum habitus et figuras ducere potuissent. Documento sunt inclytae illae virgines Pandrosei sacelli, quas nemo facile spectaverit, quin incredibili elegantissimarum formarum venustate mirum in modum se demulceri sentiat. Quamquam haec ipsa signa an recte *Caryatidum* nomine appellentur, vehementer dubitari potest. Certe si vestitum totumque earum habitum curiosius contempleris, cfr. Muelleri Sacra Minervae Poliad. VII. p. 41., ne tenuissimum quidem vestigium deprehendes, quod Laconicarum virginum te admoneat. Quo ductus argumento si quis nullam omnino statuam, quae Caryatidis vere sic dictae figuram referat, ad nostram aetatem pervenisse censeat, equidem nihil eam sententiam habere fateor, quod non summa probabilitate commendetur. Quid quod ne illud quidem certum et exploratum haberi potest, an unquam prisci artifices Caryatidum signa trabibus fulciendis supposuerint. Imo ne potuerunt quidem, si rem vere aestimare velis. Etenim Caryatidum nomen cum necessario saltationis ejusque, nisi fallor, concitatioris notionem adjunctam habeat, profecto contra rei naturam et probabilitatem artifices fecissent, si talium puellarum signis trabes vel tecta susti-

nenda imposuissent, quod non minus ineptum fuisset, quam si Maenadum Thyadumve statuas eidem consilio adhibere voluissent. Quod autem concitatiores Caryatidum saltationes fuisse diximus, id tum aliunde probabile est; tum nescio, an e Plinii verbis H. N. XXXVI. 4. colligi queat, ubi Thyadas et Caryatidas ita ab auctore sociari videas, ut, si summam rei spectes, utrasque fere pro unis iisdemque habuisse videatur. *Romae*, inquit, *Praxitelis opera sunt Flora, Triptolemus — item Maenades et quas vocant Thyadas et Caryatidas*, quo loco novum pondus accedit conjecturae nostrae, qua Caryatidas minime diversas fuisse statuimus a Dymaenis, quas Hesychium per χορίτιδες Βάκχαι interpretari docuimus. Bacchas enim vel Thyadas multum fallatur, qui uni Baccho proprias fuisse arbitretur. Itaque hac etiam in re Caryatidi Dianae plane convenit cum dea Ephesia, quam Lydas virgines commotiore saltationis genere celebrasse docet Autocratis locus apud Aelian. H. A. XII. 9. Haec si recte disputata sunt, apparet, verum esse id, quod supra posuimus, neque Pandroseas illas virgines nec reliquas statuas, quas Winkelmanni aliorumque exemplo Caryatidas appellant, recte hoc nomine insigniri. Quae cum ita sint, unde tandem fluxisse putabimus vulgarem illam omniumque mentibus infixam opinionem, qua quidquid unquam signorum trabes vel tecta sustinentium repertum est, Caryatidas dicere consueve-

runt? Nempe ex ipso illo, quem jam supra attigimus, loco Vitruvii, et ex fragmento quodam Lyncei apud Athenaeum Lib. VI. p. 241. d. servato. Vitruvio quantum in hac re fidei tribuendum sit, tota ejus docet disputatio omni genere anilium fabularum referta. Neque firmius receptae opinionis praesidium in Lyncei loco paratum est. Verba scriptoris haec sunt: *Εὐκράτης ὁ Κόρυδος πίνων παρά τινι σαπρᾶς οὔσης τῆς οἰκίας· ἐνταῦθα, φησί, δειπνεῖν δεῖ ὑποστήσαντα τὴν ἀριστερὰν χεῖρα, ὥσπερ αἱ Καρυάτιδες.* ubi facile vides, facetum hominem non ideo sese Caryatidi comparare, quod tectum putris et ruinosae domus fulciendum esset, sed quod saltantium Caryatidum more sinistram manum capiti admoveat. Ceterum non majorum tantum signorum, sed minorum etiam artis operum illae Caryatidum saltationes occasionem dedisse videntur, si quidem Plutarchus Artax. cap. 18. in Clearchi sigillo *ὀρχουμένας Καρυάτιδας* insculptas fuisse tradidit, Pollux denique Lib. V. 97. easdem inter aurium ornamenta commemorat.

XLIII.

Ζηνὸς Χαονίοιο προμάντιες ἠυδάξαντο.

Stephanus Byzant. s. v. *Χαονία* p. 715. Pin. *λέγεται καὶ Χαόνιος. Εὐφορίων Χιλιάσι· Ζηνὸς κ. τ. λ.* Probabile est, hunc versum ex ultimo Chiliadum libro ductum esse.

XLIV.

Athenaeus Lib. X. p. 476. f. *μνημονεύει δ' αὐτοῦ Εὐφορίων ὁ ἐποποιὸς ἐν Χιλιάσι.* Xenarchum dicit Rhodium, potatorem strenuum ideoque *μετρητοῦ* nomine ornatum. Xenagorae eandem laudem tribuit Aelianus V. H. XII. 26. *ποτίστατοι γεγόνασιν ἄνθρωποι Ξεναγόρας ὁ Ῥόδιος ὃν ἐκάλουν Ἀμφορέα κ. τ. λ.*, ubi Perizonius ex Athenaeo maluit *Ξέναρχον.* Idem voluit Fabricius Bibl. Gr. II. p. 505., ubi quae scripsit Harlesius, melius omisisset.

XLV.

Tertullianus Opp. p. 546. Rigalt. de somniorum eventu disputans *Alexandrum qui sciunt*, inquit, *leonem annuli recognoscunt; Ephorus scribit. Sed et Dionysii Siciliae tyrannidem Himeraea quaedam somniavit, Heraclides prodidit. Et Seleuco regnum Asiae Laodice mater nondum ea enixa praevidit; Euphorion provulgavit.* Rem copiosius narrant Justinus Hist. XV. 4. et Appianus Syr. p. 211., qui inter alia haec habet: *καὶ ὄναρ αὐτοῦ μητέρα ἰδεῖν, ὃν εὕροι δακτύλιον δοῦναι φόρημα Σελεύκῳ, τὸν δὲ βασιλεύειν ἔνθα ἂν ὁ δακτύλιος ἐκπέσοι, καὶ ἡ μὲν εὗρεν ἄγκυραν ἐν σιδήρῳ κεχαραγμένην, ὁ δὲ τὴν σφραγῖδα κ. τ. λ.* Ancoram illam Seleuci sigillo insculptam attigit etiam Clemens Alex. Paed. III. p. 106. Eadem frequens in numis Seleucidarum. Vide Eckhel. Doctr. Num. I. 3. p. 211. sqq. Ephori locum

apud Marxium non reperio. Himeraeae mulieris somnium uberius narravit Timaeus Hist. Lib. VI. apud Scholiast. Aeschin. Vol. I. p. 751. sive apud Valerium Max. I, 7. 6., qui Timaei locum, a Goellero Fragm. Tim. p. 211. neglectum, ad verbum fere expressit, quod monuit etiam Muretus Var. Lect. XIV. 15. miro errore pro Timaeo Timesiam nominans, quod retinuit novissimus Valerii editor. Ceterum ad Chiliades haec retuli non alio indicio nisi rei probabilitate ductus. Idem de sequenti fragmento dictum velim.

XLVI.

Servius ad Virgilii Eclog. VI. 72. *Gryneum nemus est in finibus Joniis Apollini consecratum, ubi est lucus arboribus multis, junco, gramine floribusque variis omni tempore vestitus, abundans etiam fontibus; quae civitas nomen accepit a Gryno, Eurypyli filio, qui regnavit in Moesia, qui adversus Trojanos Graecis auxilium tulit. Eurypylus namque Telephi filius, Herculis et Aganes filii, ex Astyoche Laomedontis filius fuit, qui Grynium procreavit. Is quum patris occupasset imperium et bello a finitimis tentaretur, Pergamum Neptolemi et Andromaches filium ad auxilium de Epiro provocavit, a quo defensus duas urbes condidit, unam Pergamum de nomine Pergami, alteram Grynium ex responso Apollinis. In hoc nemore Calchantem vites serentem quidam augur vicinus praeteriens dixit errare; non enim*

fas esse, novum inde gustare: at is, opere absoluto, vindemiaque facta, cum ad coenam vicinos eumque ipsum augurem invitasset, protulit vinum, et cum diis libare in focum vellet, dixit, se non solum poturum, sed etiam diis daturum et convivis: cui ille eadem, quae ante, ei respondit: ob hoc deridens eum Calchas adeo ridere coepit, ut repente intercluso spiritu poculum abjiceret. Et mox paucis interjectis: *in quo luco aliquando Calchas et Mopsus dicuntur de peritia vaticinandi inter se habuisse certamen, et cum de pomorum arboris cujusdam contenderent numero, stetit gloria Mopso; prae cujus rei dolore Calchas interiit. Haec autem Euphorionis continent carmina, quae Gallus transtulit in sermonem latinum.* Haec omnia e diversis in Virgilium commentariis temere conflata, ex Euphorionis Chiliadibus et quinto quidem earum libro ducta esse, vix est quod ambigas. Oraculum Apollinis Grynei, de quo peculiarem librum scripsisse perhibetur Hermeas apud Athen. IV. p. 149. D., commemorant etiam Pausanias Lib. I. 21. et Philostr. V. A. IV. 14. cll. Strabone Lib. XIII. p. 434. et Parthenio apud Stephan. Byzant. p. 214. De Calchante et Mopso quod narraverat Euphorio, id alii in Cilicia, alii ad Colophonem in nemore Apollinis Clarii [16]) accidisse referunt. In

16) Cave ne Clarium oraculum cum Colophonio confundas. Diserte utrumque distinguit Lucianus Jove bis Acc. Tom. II. p. 792. ubi cfr. intpp.

his fuit etiam Hesiodus, cujus de Mopsi et Calchantis certamine versus a Strab. XIV. p. 921. servatos apposuit Vossius ad Virgilii Ecl. p. 238. Apud Gaisfordium leguntur p. 177. Narrat autem Strabo ex Hesiodo Calchantem Troja deleta una cum Amphilocho venisse Colophonem, ibique eum a Mopso, Mantus filio, Tiresiae nepote, vaticinandi peritia victum occubuisse. Quarto Hesiodi fragmenti versu Gaisfordius edidit:

εἷς δὲ περισσεύει, τὸν ἐπελθέμεν οὐχὶ δύναι ἄν,

contra epici sermonis usum. MSS. habent *οὐκ ἐδύναο.* Legendum *οὔ κε δύναιο.* Calchantis in eadem loca adventum tractaverat etiam in *Νόστοις* Agias. Vide Proculi Chrest. p. 485. Gaisf. ubi quod legitur *οἱ περὶ Κάλχαντα καὶ Λεοντέα καὶ Πολυποίτην πεζῇ πορευθέντες, Τειρεσίαν ἐνταῦθα τελευτήσαντα θάπτουσι,* mirifice ab aliarum narratione discrepat; nisi forte *Κάλχαντα ἐνταῦθα θάπτουσι* scriptum fuit, ut est apud Tzetzen ad Lycophr. 427. Alios auctores sequutus est Quintus Calab. XIV. 364. sqq.

Has igitur de Apollinis Grynei nemore et de Calchantis cum Mopso congressu fabulas in postremo Chiliadum libro tractaverat Euphorio, in quo imitatorem nactus est Cornelium Gallum. Egregie Virgilius l. c. Musas Gallo dicentes facit:

— Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni; —

His tibi Grynei nemoris dicatur origo;
Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo,

ubi, monente Vossio, non aliam ob causam Musae Ascraei senis calamos Gallo offerre dicuntur, quam quod in eodem argumento etiam Hesiodus elaboraverat.

Alia fragmenta probabiliter e quinto Chiliadum libro ducta vide infra No. L, CL.

INCERTAE SEDIS FRAGMENTA.

XLVII.

Κλαίοντες δέ τε κοῦρον ἐπ' ἀγχιάλοις πιτύεσσιν
κάτθεσαν, ὁκκότε δὴ στεφάνων ἄθλοις φορέονται·
οὐ γάρ πω τρηχεῖα λάβη κατεμήσατο χειρῶν
μνήμης παῖδα Χάρωνα παρ' Ἀσωποῦ γενετείρῃ.
ἐξότε πυκνὰ σέλινα κατὰ κροτάφων ἐβάλοντο.

Plutarchus Symp. V. 3. p. 677. a. *ἡ μὲν πίτυς ἦν στέμμα τῶν ἀγώνων πάτριον, ἐκ δὲ Νεμέας κατὰ ζῆλον ὁ τοῦ σελίνου ξένος ὢν ἐπεισῆλθε δι' Ἡρακλέα, καὶ κρατήσας ἠμαύρωσεν ἐκεῖνον, ὡς ἱερὸν ἐπιτήδειον* (Wytt. conj. *ἥρωϊ ἀνεπιτήδειον*)· *εἶτα μέντοι χρόνῳ πάλιν ἀνακτησαμένη τὸ πάτριον γέρας ἡ πίτυς ἀνθεῖ τῇ τιμῇ. Ἐγὼ οὖν ἀνεπειθό-*

μιμν καὶ προσεῖχον, ὥστε καὶ τῶν μαρτυρίων ἐκμαθεῖν πολλὰ καὶ μνμονεύειν. Εὐφορίωνα μὲν οὕτω πως περὶ Μελικέρτου· Κλαίοντες κ. τ. λ. Hos versus, quos merito et re et verbis obscuros vocat Wyttenbachius, ex Atactis petitos esse ait Fabric. Bibl. Gr. II. p. 304., quod quibus rationibus inductus statuerit, non exposuit. Aequo, imo majori jure e Dionyso eos ductos esse suspiceris. Sed ejusmodi conjecturis nihil fallacius. Vertitur autem locus apud Wyttenbachium ita:

Plorantes puerum tunc frondibus imposuerunt
De pinu sumtis, unde et mos ferre coronam
Isthmia vincenti: neque enim illo tempore Mnemes
Natus ad Asopi partu prorepserat undas
Ille Charon, apii primus, qui tempora densis
Implicuit sertis, inventi moris et auctor.

Quae mihi quidem haud paulo graecis ipsis obscuriora videntur. Bene autem sit Plutarcho, quod de Melicerta sermonem esse diserte adjecit, cujus indicii ductu ex his Labyrinthi erroribus exitum tentare liceat. Constat Inonem, quum Athamas alterum filiorum Learchum (male apud Etym. M. p. 24. 17. legitur Κλέαρχος) interfecisset, metu perculsam per Geraneum montem fugisse et a Moluride petra, Pausan. I. 44. Tzetzes ad Lycophr. 219., cum altero filiolo Melicerta

in mare se praecipitasse. Melicertae corpus (invidiose Clemens Alex. Protr. p. 10. Sylb. ἐλεεινὸν σκύβαλον vocat) littori appulsum quum tolli jussisset Sisyphus, Isthmiorum ludorum solennitatem, uni adhuc Neptuno consecratam, ita instituit, ut Melicertam in ejusdem honoris societatem admitteret. Minus accurate Schol. Apoll. Rh. III. 1140. Ἴσθμια, inquit, πρότερον μὲν τῷ Ποσειδῶνι, ὕστερον δὲ Μελικέρτῃ ἐτελεῖτο. Rectius Schol. Aristoph. Equ. 606. Isthmia et Neptuno et Palaemoni consecrata fuisse prodidit. Hoc enim non minus quam Glauci nomine, Athen. p. 296. a., abhinc celebratum fuisse Melicertam, tum aliunde constat, tum ex Schol. Aristoph. Vesp. 1404. [17]) Ab hoc inde tempore qui in Isthmiis victores evaderent, non pinea corona, ut antea moris fuerat, sed apio, quod idem Nemeorum victorum praemium erat, donatos esse tradunt Schol. Apoll. Rh. III. 1240., et Argum.

17) Inonem abhinc Leucotheae nomine nuncupatam esse, adeo pervulgatum est, ut nullis res indigeat testimoniis. Illud autem memorabile est, quod Etymol. M. p. 561. 44. tradit, Myrsinum Leucotheae nomen omnino ad Nereidas transtulisse, quod tamen in Myrsilo (ita enim legendum est) strenuo illo fabularum novatore non mirandum est. Ejus de Musis commentum refert Clemens Alex. Protr. p. 9. 24. Sylb. Conf Schol. Apoll. Rh. I. 615.

Pind. Nem. p. 426. Boeckh. [18]) Alii contra, in quibus Callimachus et Euphorio, apii usum ex Nemeorum ludorum imitatione in Isthmios concessisse prodiderunt. Jam ad singula transeamus. V. 1. κλαίοντες κάτθεσαν. sc. Donacinus et Amphilochus, quos Melicertae corpus sive fluctibus littori appulsum sive delphino in oram delatum, Pausan. II, 1. p. 111., jubente Sisypho sustulisse testantur Schol. Pind. Isthm. p. 515, Bkh. Tzetzes ad Lycophr. 229. et Eudocia Jon. 238. Sequuntur verba ἐπ' ἀγχιάλοις πετύ-

---

18) Apium, σέλινον, cujus mysticam originem declarant Clemens Alex. Protr. p. 6. et Eusebius Pr. Evang. II. p. 40. Steph., frequentissime ad cippos ornandos adhibitum fuisse docuerunt Rigaltius ad Artemid. I. 21. et Casaubonus ad Theophr. Char. p. 38. 85. cll. Gellio N. A. XX. 4. Hinc notum illud proverbium δεῖται τοῦ σελίνου ἐπὶ τῶν ἀσφαλῶς νοσούντων· καὶ γὰρ εἰώθαμεν τὰ μνήματα στεφανοῦν σελίνοις, ὥς φησι Πλούταρχος. Suid. II. p. 491. Respicit Plutarchi V. Timol. 26., ubi recte legitur ἀσφαλῶς. Itaque ratione fecerunt, qui ad tristem Melicertae sortem significandam apii usum in Isthmiis victoriis obtinuisse tradidere. At fuisse etiam, qui apium victoriae symbolum haberent, docent ea, quae de Danao narrat Etymol. M. p. 743. 22. quae ex integrioribus Pindari Scholiis ad Pyth. 9. 185. ed. Bkh. desumta sunt. De variis apii generibus exposuit J. H. Vossius ad Virgil. Ecl. VI. p. 324.

ϵσσιν. Ita enim correxi editam lectionem ἐπ' αἰ-λίσι πιτύϵσσι. MS. ἐπ' αἰγιαλοῖσι πιτ. Alius ἐπ' αἰγιλίπϵσσι πίτυσσι. Schneiderus ad Nicandri Alex. p. 289. ἐπ' αἰγιαλοῦ πιτύϵσσιν. Melius Boettigerus in Pictur. Vas. T. I. 2. p. 145. ἐπ' εἰναλίαις πιτ. Sed unice verum videtur id, quod ipse reposui; nisi forte alterius MS. auctoritatem sequutus malis ἐπ' αἰγχιάλοισι πίτυσσι, quemadmodum passim legas μάρτυσσι, δάκρυσσι, γέ-νυσσι et similia, de quibus Hermannus ad Orph. p. 471. Doctr. Metr. p. 45. et Jacobs ad Anth. Palat. III. p. LXV. ὄφρυσσι fort. reddendum Anacreonti apud Athen. p. 674. c. Nec vero de nihilo est, quod pineis frondibus Melicertae corpus impositum dicitur: quandoquidem totus ille Isthmii littoris tractus pinetis abundabat. Vide Strabo Lib. VIII. p. 273. Pausan. II. p. 111. Philostr. Icon. II. 16. p. 833. Hinc etiam frequens est pinus in numis Corinthiacis, iis maxime, qui Melicertae imaginem exhibent. Vide Millin. Theatr. Mythol. Nro. 401. sqq. — V. 2. reliqui editam lectionem. Nihil varietatis attulit Wyttenbachius, nec alias editiones ad manum habeo. Schneiderus l. c. dedit στέφανον φορέονται ἀέθλων. Si sana est vulgata lectio, de quo etiam propter ὁκκότε dubitare licet, vertendum est: *eo tempore, quo in certaminibus de victoria habitis rapido cursu certantes feruntur*: ut sensus sit, Melicertae corpus eo ipso tempore ad littus appulsum esse, quo certamina in Isthmiorum solenni-

tate committuntur. στέφανος certe de victoria frequentissimum est. — V. 3. libri, quod ego sciam, nihil mutant. Quarto autem versu, Schneidero notante, pro μνήμης alii praebent μήμης, alii λίμνης, et Χάρωνι pro Χάρωνα, quibus nihil ad integritatem loci proficitur. Sententiam requiro fere hanc: *necdum enim Nemei ludi, ex quibus postea apii usus in Isthmios receptus est, instituti erant.* Hujus igitur sententiae ductu scripsisse poetam suspicor:

> Οὐ γάρ πω τρηχεῖα λαβὴ καταμήσατο χειρῶν
> Μήνης παῖδα χάρωνα παρ' Ἀσωποῦ γενετείρῃ

h. e. *necdum enim Hercules saevo manuum impetu leonem, Lunae filium, ad Nemeam strangulaverat.* Videamus singula. λαβὴ scripsi pro λάβη. Recte autem dici posse existimo λαβὴ χειρῶν, de manibus, quae faucium pressu leonem illum suffocaverant. Conf. Victorius V. L. IV. 12. Ita nostrates *der Griff seiner Faust.* καταμᾶσθαι, quod etiam apud Sophocl. Phil. 749. Apollon. Rh. IV. 374. et apud ipsum nostrum poetam (Fragm. LI.) mediam syllabam corripit, passim etiam apud alios scriptores simpliciter est *interficere*, hoc igitur loco *faucium pressu interficere, strangulare.* Sequitur χάρωνα *leonem*, quo sensu hanc vocem de Nemeo leone posuit Lycophr. 455.

ὃς χάρωνος ὠμηστοῦ δορὰν
χαλκῷ τορτὸν οὐκ ἔτευξεν ἐν μάχῃ.

ubi Schol. χάρων, ὁ λέων κατὰ Μακεδόνας. Eustath. ad Odyss. κ'. p. 1666. 37. χάρων λέοντος ἐπίθετον ἀπὸ τῆς κατ' αὐτὸν χαροπότητος. Conf. ibid. p. 1703. 30. Intpp. Eurip. Alc. 578. et Sturz de dial. Maced. p. 47. Hunc leonem vocat Μήνης παῖδα, *Lunae filium.* Quod nemo melius illustrat, quam Aelianus H. A. XII. 7. τὸν Νεμεαῖον λέοντα τῆς σελήνης ἐκπεσεῖν φασί. Tum Epimenidis versus affert:

Καὶ γὰρ ἐγὼ γένος εἰμὶ Σελήνης ἠυκόμοιο,
ἣ δεινὸν φρίξασ' ἀπεσείσατο θῆρα λέοντα [19])
ἐν Νεμέᾳ, ἀνάγουσ' αὐτὸν διὰ πότνιαν Ἥραν.

Ita enim tertium versum emendavit Bentl. Resp. ad Bayl. p. 535. Eadem de ortu leonis Nemeaei narrant Lactantius ad Statii Theb. II. 58. Servius ad Virg. Georg. III. 391. Nigidius apud Schol. German. p. 52. cll. Wesselingio ad Diod. Sic. IV. p. 256. Eodem spectat Schol. Apoll. Rhod. I.

---

19) Fort. θουρολέοντα. Quemadmodum idem ille leo Nemeaeus apud Theocrit. XXV. 168. αἰνολέων vocatur. Similia sunt Δύσπαρις Homeri, et Αἰνόπαρις Euripidis. Nicander Ther. 310. εἴ γ' ἔτυμον Τροίηθεν ἰοῦσ' ἐχαλέψατο φύλοις αἴν' Ἑλένη. Ita Schneiderus. Conjeceram Αἰνελένη, cum idem vett. editt. habere intellexi.

498. τὴν δὲ σελήνην Ἀναξαγόρας χώραν πλατεῖαν ἀποφαίνει, ἐν ᾗ (leg. ἐξ ἧς) δοκεῖ ὁ Νεμαῖος (leg. aut Νέμεος aut Νεμεαῖος. V. Lobeck. ad Phryn. p. 557.) λέων πεπτωκέναι. — Ibid. cod. notante Schneidero, Ἄσωπον γενετῆρα. Unice vera est lectio edita παρ' Ἀσωποῦ γενετείρῃ h. e. apud Nemeam, quam Asopi filiam perhibent etiam Pausanias Eliac. V. 22. Corinth. II. 15. p. 233. et Schol. Pind. Olymp. VI. 144. γενέτειρα enim passiva significatione capiendum, ut γενέτης *filius* apud Soph. Oed. Tyr. 472., ubi conf. Erfurdt. Secundum alios Nemea Lunae et Jovis erat filia. Schol. Pind. argum. Nem. p. 425. Bkh. ἔστι δὲ ἡ Νεμέα τῶν Ἀργείων τῆς χώρας μοῖρα, ὠνομασμένη ἀπὸ τῆς Σελήνης καὶ Διός, ubi quod post ἀπό addidit Boeckh. Νεμέας, sponte intelligitur. At Suidae glossam Νεμέας θέλινα vereor, ut recte tentaverit Kusterus Νεμέα Σελήνης. Pindari Scholiasten nescio quam recte Heynius respexisse dicat ad Homer. Hymn. Lun. XXXII. 14.

τῇ ῥά ποτε Κρονίδης ἐμίγη φιότητι καὶ εὐνῇ,
ἡ δ' ὑποκυσσαμένη Πανδείην γείνατο κούρην. [20])

---

20) Verissime Hermannus: Πανδείη illa, *quaecunque fuerit*, Πανδίη videtur scribenda. Phot. Lex. p. 275. Πάνδια, ἑορτή τις ἀπὸ Πανδίας τῆς Σελήνης; ubi ne quis, ut in Homerico hymno, Pandiam Selenes *filiam* dici animum inducat, prohibet Ulpianus ad Demosth. c. Mid. p. 179. B. οἱ μὲν Πάνδια Διὸς ἑορ-

ubi nihil video de Nemea. Heynium tamen sequutus est Hermannus. — V. 5. cujus medelam Schneiderus aliunde exspectabat, nihil difficultatis habet. Sensus igitur totius loci, si omittas ornatum poeticum, hic est: *Melicertae corpus pineis frondibus imposuerunt; necdum enim Hercules Nemeorum ludorum solemnia, in quibus qui victores evaderent apio coronabantur, in leonis a se interfecti memoriam instituerat, a quo inde tempore etiam Isthmiorum certaminum victores coronis ex apio nexis donati sunt.* Hoc autem ipsum illud esse, quod Plutarchus ex his Euphorionis versibus probare voluit, planissime docet Callimachi locus Euphorioneo proxime adjectus: λέγει δὲ ὁ Ἡρακλῆς περὶ σελίνου·

Καὶ μιν Ἀληϊιάδαι πουλὺ γεγειότερον
Τοῦδε παρ' Αἰγαίωνι θεῷ τελέοντες ἀγῶνα,
Θήσουσιν νίκης σύμβολον Ἰσθμιάδος,
Ζήλῳ τῶν Νεμέηθε· πίτυν δ' ἀποτιμήσουσιν,
Ἢ πρὶν ἀγωνιστὰς ἔστεφε τοὺς Ἐφύρῃ.

Atque haec Callimachum ex rei veritate cecinisse vel illud indicio est, quod veterum scriptorum

---

τὴν νομίζουσιν, οἱ δὲ Πανδίαν τὴν Σελήνην νομίζουσι. Apud Maximum περὶ Καταρχῶν Pandia perpetuum est Selenes epitheton, ut vss. 22. 145. 208. Quid quod v. 123. Luna sine additamento et simpliciter Πανδία vocatur. Vitiosa scriptura Πανδία est etiam apud Etymol. M. p. 651. 22.

ne unus quidem pineam coronam, sed omnes serta ex apio nexa tanquam solenne Isthmiorum victorum praemium commemorant. Quare, si talia rimari fas est, non recte Schillerus nostras Ibycum pinea fronde coronandum induxit. Postea tamen h. e. primo post Chr. saeculo pinus pristinam dignitatem recuperavit, ut diserte testatur Plutarch. l. l. p. 676. F. Pausanias igitur VIII. 48. p. 697. ἐν Ἰσθμῷ ἡ πίτυς καὶ ἐν Νεμέᾳ τὰ σέλινα (ita leg.) ἐπὶ τοῦ Παλαίμονος καὶ τοῦ Ἀρχεμόρου τοῖς παθήμασιν ἐνομίσθησαν, non prisca tempora spectasse, sed ex suae aetatis more judicasse censendus est. Cfr. Themist. Orat. 15. p. 186. A. Schneideri errorem e Nicandro Alex. 605. constare dicentis, primam in Isthmicis ludis coronam fuisse ex apio, verbo tetigisse sufficiat.

XLVIII.

Ἀλλ' οὔπω Θήβῃ πεπρωμένα κεῖτο τάλαντα,
τήν ῥά ποτε Κρονίδης δῶρον πόρε Περσεφονείῃ
ἐς γαμετὴν ὅτε πρῶτον ὀπωπήσασθαι ἔμελλεν
νυμφιδίου σπείροιο παρακλίνασα καλύπτρην.

Schol. Euripidis Phoen. 688. δεδόσθαι γὰρ τὰς Θήβας τῇ Περσεφονείᾳ ὑπὸ τοῦ Διὸς ἀνακαλυπτήρια, ὡς Εὐφορίων· Ἀλλ' οὔπω κ. τ. λ. Proserpinam Thebanos sanctissima religione coluisse, non est, quod quisquam ambigat. Illud autem

singulare est nec a quoquam alio traditum, Thebas Proserpinae *ἀνακαλυπτηρίων* die nuptialis muneris loco donatas esse, id quod alios de Sicilia tradidisse constat e Plutarch. V. Timol. Cap. 8. Schol. Pind. Nem. I. 17. et Theocr. XV, 4. cfr. Eckhel D. N. Tom. II. p. 451. Itaque non mirandum est, etiam Acragantinos hunc honorem sibi vindicasse; quamquam quo auctore hoc tradiderit Muellerus de Orchomen. p. 217., indagare non potui; nam apud Pindari quidem Scholiasten nihil ejusmodi reperio. Eodem honore Cyzicus gloriabatur, ut docuit Wessel. ad Diod. Sic. V. 2. cll. Stephano Byzant. s. v. *Κυζικός* p. 162. — V. 3. vulgo editur *ἐγγαμετήν*. Alii *ἐγγαμετῇ* vel *γαμετῇ*. Barn. et Matth. *ἐς γαμετήν*, quod non intelligo. Fort. *ὃν γαμέτην*, *sponsum suum*. Mox Schaeferus ad Lamb. Bos. Ellips. p. 126. *ὀπωπήσεσθαι*. Sed vide Lobeckii Parerg. ad Phryn. p. 745. sqq.

XLIX.

Ὄφρα κε μαντεύοιτο μεθ' υἱάσι Βοιωτοῖο,
τόν ῥα Ποσειδάωνι δαμασσαμένη τέκεν Ἄρνη,
Βοιωτὸν δ' ὀνόμηνε· τὸ γὰρ καλέσαντο νομῆες.
ὅττι ῥα πατρῴῃσι βοῶν ἀπεθήκατο κόπροις.

Stephanus Byzant. s. v. *Βοιωτία* p. 171. *γενέσθαι δέ φασι Βοιωτὸν Ἰτώνου τοῦ Ἀμφικτύονος — Νικοκράτης δέ φησιν, ὅτι Ποσειδῶνος ἦν παῖς. Εὐφορίων· Ὄφρα κε μάντ. κ. τ. λ.* Tres

postremos fragmenti versus habet etiam Etymol. M. p. 203. 10. *Βοιωτὸς. ἡ μήτηρ αὐτοῦ τεκοῦσα αὐτὸν λαθεῖν βουλομένη τὸν πατέρα ἔρριψεν εἰς βοῶνα. Εὐφορίων· Τὸν ῥα Ποσ. κ. τ. λ.* Denique duo postremos versus servavit etiam Eudoc. Jon. p. 80. — V. 1. *μαντεύοιτο.* Fortasse de Tiresia vel alio vate Thebano in iis, quae praecedebant, dixerat. De Boeoto, Itoni filio, Amphictyonis nepote, pluribus egisse videtur Armenias in Thebaicis. Vide Schol. Apoll. Rhod. I. 551. Sic enim recte ibi legitur; fallitur Vossius de Hist. Gr. III. p. 354. Antimenidae nomen reponens. Contra apud eundem Schol. ad Lib. I. p. 741. male editur *Ἀντιμενίδας ἐν πρώτῳ* pro *Ἀρμενίδας ἐν πρώτῳ* sc. *τῶν Θηβαϊκῶν.* Agitur enim de Amphione. Cfr. Athen. I. p. 31. a. et Photius Lex. p. 179. — V. 2. Etymol. M. *τέκε μήτηρ.* Praestat quod e Stephano dedi. Eodem versu notandum est *δαμασσαμένη* pro *δαμασθεῖσα.* Perrarum hoc quidem, nec tamen sine exemplis, ut Hermanno visum est de Emend. Rat. Gr. Gr. p. 236. et Lobeckio ad Phryn. p. 320. Rursus ita Euphorio infra Fragm. LXI., ubi non video, qua ratione explicari possit, quod Lobeckius reposuit, *βιαζομένη.* Cfr. Schaefer ad Brunck. Poet. Eth. p. 106. Apud Hesiod. Scut. 173. *ἀπουράμενοι ψυχάς, vita privati.* Minus tribuam Theocriti loco Id. III. 29., ubi variat lectio. — V. 3. Etymol. M. et Eud. *καλέουσι βοτῆρες.* — V. 4. *Κόπροις* h. e. *βοῶν σταθμοῖς,*

ut apud Hom. Iliad. VI. 575. Vide Schol. Venet. ad Iliad. XXIV. p. 520. b. et Heynius ibidem p. 624.

L.

Πύραμον ἠχήεντα, πόλιν δ' ἐκτίσσατο Μαλλόν,
ἣν πέρι δῆριν θέντε κακόφραδες ἀλλήλοισιν
Μόψος τ' Ἀμφίλοχός τε, καὶ ἄρκια δηριν-θέντες
μουνάξ ἀπλήστοιο πύλας ἔβαν Ἀϊδωνῆος.

Tzetzes ad Lycophr. 440. *Μετὰ τὴν τῆς Τροίας πόρθησιν ἀμφότεροι* (Mopsus et Amphilochus) *ἦλθον εἰς Κιλικίαν. Ἀμφίλοχος δὲ ὁ Ἀμφιάρεω υἱὸς βουλόμενος χωρισθῆναι εἰς Ἄργος παρέθετο τῷ Μόψῳ τὴν βασιλείαν ἤτοι τὴν ἱερωσύνην αὐτοῦ, κελεύσας φυλάξαι μέχρι ἐνιαυτοῦ ἑνὸς πληρωμένου. Τελεσθέντος δὲ αὐτοῦ ἦλθεν ὁ Ἀμφίλοχος καὶ οὐ παρεχώρει αὐτῷ ὁ Μόψος. διὸ περὶ τούτου διαφερόμενοι ὑπ' ἀλλήλων ἀνῃρέθησαν, οὓς θάψαντες οἱ ἐνοικοῦντες, πύργον μεταξὺ τῶν τάφων κατεσκεύασαν, ὅπως μηδὲ μετὰ θάνατον κοινώνησωσιν, ὡς καὶ Εὐφορίων. Πύραμον κ. τ. λ.* E Mopsopia hos versus ductos esse censet Muellerus; credo propter Mopsi commemorationem; quasi vero Mopsopiae nomen ad Mopsum spectaret. Rectius e quinto Chiliadum libro hunc locum petitum esse suspiceris. — V. 1. *Πύραμον ἠχήεντα* sc. venit Amphilochus. Codd.

Vitt. 2. 3. *Πυραμιόν*. Mox scripsi *πόλιν δ' ἐκτίσσατο Μαλλόν* pro edito *πόλιν δ' ἐκτίσαντο μᾶλλον*. Similiter Spohnius de extr. p. Odyss. p. 207. corrigit: *πόλιν κτίσσαντο δὲ Μαλλόν*. Pro *ἐκτίσαντο*, quod Muellerus demum e Vitt. 2. 3. reposuit, vulgo legitur *ἐκτίσατο*. Idem habent Vit. 1. et Ciz., nisi quod *ἐκτήσατο* scriptum praebent. Nec urbem tantum sed etiam oraculum Amphilochus ad Pyramum condidit, quod omnium sua aetate veracissimum nuncupat Pausan. Att. 34. p. 84. Eandem illi laudem tribuit Celsus apud Origin. c. Cels. VII. p. 355. et Lucianus Philops. Tom. III. p. 63., quem vide etiam in Deorr. Conc. III. p. 534. Plura de eo oraculo vide apud Arrianum Alex. II. p. 68. et Intpp. ad Luciani Alex. II. p. 226. — V. 2. *ἧς περὶ δῆριν θέντε*. Vitt. 2. 3. corrupte *δεριστθέντες*, quod in *δηρισθέντες* mutavit Muellerus. Quod ego reposui, praeter vett. editt. praebent Vit. 1. et Ciz., nisi quod *περὶ* habent. Idem placuit Spohnio. Vel sic tamen est, quod offendas, non solum propter sequentem versum, in cujus fine idem sonus recurrit, sed eam etiam ob causam, quod dubitare licet, an graece dici possit *δῆριν τιθέναι* pro *τίθεσθαι*. Ita recte dicitur *ἔχθραν* vel *μῖσος καταθέσθαι*, non item *μῖσος* vel *ἔχθραν καταθεῖναι*. Nec orationis forma ab elegantia commendatur: *ἧς περὶ δῆριν θέντε καὶ ἄρκια δηριθέντες πύλας ἔβαν Ἀϊδωνῆος*. Quare vide ne scripserit poeta *ἧς περὶ δῆριν ἔθεντο* si-

ve θέντο. — V. 3. ante Spohnium Μόψος Ἀμφιλ. Idem in fine dedit θηριωθέντες pro θῆριω θέντες sive, quae Codd. lectio est, θηριοθέντες. Pro ἄρκια fortasse ἄκριτα scribendum. — V. 4. ἀπλήστοιο Spohnio debetur pro edito ἀλήστοιο. Vitt. 2. et 3. ἄλησθοι. Possis etiam ἀλλίστοιο, *inexorabilis*. Ita Crinagoras Anthol. Palat. I. p. 502. κούρην αἱμύλον ἐνναέτιν ἥρπασας, ὦ ἄλλιστ' Ἀΐδη. ubi Cod. ἄλιστε, editt. ἄληστε et ἄλληστε. Quos errores, ut supra ἐκτήσατο pro ἐκτίσσατο, e prava recentiorum pronunciatione natos esse apertum est. Ejusdem fere generis haec sunt: Achaeus Aethone satyr. apud Athen. X. p. 427. c.

ἀ. Μῶν Ἀχελῶος ἦν κεκραμένος πολύς;
Σ. Ἀλλ' οὐδὲ λεῖξαι τοῦδε τῷ γένει θέμις.

Ita scribendus hic locus. Secundo versu Satyri loquuntur, itaque personarum signa adscripsi. Editur apud Schweigh. Ἀχελώος et λῆξαι. Pro τοῦδε fortasse τῷδε legendum. Apud Philostr V. A. VI. p. 228. pro edita lectione τῆς ἀμαρτύρου Λιβύης e Cod. notatur τῆς ἀνικήτου, quod Jacobs Epist. crit. ad Schneid. p. 43. in ἀμίκτου mutari voluit. Scribe potius ἀνοικήτου, quod interpretamentum est receptae lectionis ἀμαρτύρου. Denique apud Lucian. Somn. I. p. 18. pro ἀνακύπτων alii libri mira varietate praebent ἀνανήφων, quod ex ἀνανεύων natum esse quis dubitet? Sed redeo ad Euphorionis locum, in cujus ultimo versu recte Spohnius antiquam lectionem

ex editt. revocavit. Muellerus Ἀϊδωνῆος. Phlegon Trallés de Mirac. in Thesauro Gronovii VIII. p. 2715. B. Ἀϊδώνῃ Πλουτῶνι βοὸς κυανότριχος αἷμα. Leg. Ἀϊδονεῖ.

LI.

Τέκνον, μὴ σύ γε μητρὸς ἀπ' ἀνθερεῶνας ἀμήσῃς,
ἠελίους ἥτις σε τριηκοσίους ἐφόρησα,
τέκνον, ὑπὸ ζώνῃ, φοβερὰς δ' ὠδῖνας ἀνέτλην
ἐς φάος ἐρχομένου. λαρὸν δ' ἐπὶ γείλεσι πρώτῃ
μαστὸν ἐπισχομένη λευκῷ σ' ἔπλησα γάλακτι.

Servavit Stobaeus Serm. LXXVI. p. 451. Gesn. Tit. LXXVIII. p. 333. Grot. Sunt Clytaemnestrae verba ad Orestem, caedem matri parantem. Similiter apud Aeschylum Choeph. 888. Clytaemnestra: ἐπίσχες, ὦ παῖ, τόνδε δ' αἴδεσαι, τέκνον, μαστόν etc. Primo versu usus est Etymologus M. p. 109. 30. κατηγοροῦσι τὸ Εὐφρονίωνος εἰπόντος· Τέκνον, μὴ σύγε μητρὸς ὑπ' ἀνθερεῶνος ἀνήσῃς. Recte Sylb. correxit Εὐφορίωνος et ἀμήσῃς, ut habet Zonaras I. p. 173. et Schol. Victor. apud Heynium ad Iliad. Vol. VIII. p. 626., quos omnes mirum est consentire in lectione ὑπ' ἀνθερεῶνος, me quidem quid genitivo faciam nesciente. Schol. Vict. propius tamen ad Stobaei lectionem habet ἀπ' ἀνθερεῶνος. Quod autem notasse Grammaticos Euphorionem dicit Etymologus ob usum vocis ἀνθερεῶνες, id illi eam

potissimum ob causam fecisse putandi sunt, quod fuerunt, qui ἀνθερεῶν παρὰ τὴν ἄνθησιν τῶν τριχῶν dici censerent; itaque non poterant non reprehendere eum, qui vocem illam de mulieris gutture dixisset. Vide ipsum Etymologi locum, cll. Foesio Oecon. Hipp. p. 61. et Intpp. Hesych. I. p. 173. Fortasse etiam ob pluralis usum Euphorionem reprehendebant, qui tamen, si rem recte putes, nihil habet, in quo jure offendas. — V. 5. emendavit Jacobsius Animadv. ad Eurip. p. 176. Stobaeus λευκῷ δὲ σ' ἔλοισα γάλακτι. Merito illud probavit Schaefer ad Long. Past. p. 410. Ex eodem carmine sequens fragmentum petitum est.

LII.

Πρόπρο δέ μιν δασπλῆτες ὀφειλομένην [ἄγον] οἶμον
Εὐμενίδες ἀργῆτα θυγατρίδαι Φόρκυνος,
[κλήμασι] ναρκίσσοιο ἐπιστεφέες πλοκαμῖδας.

Schol. Sophocl. Oed. Col. 674. ὅτι δὲ (ὁ νάρκισσος) Ἐριννύων ἐστὶ στεφάνωμα δῆλον ἐν οἷς Εὐφορίων φησί· Πρόπρο κ. τ. λ. — V. 1. addidi ἄγον, quod ante οἶμον facile excidere potuisse, in promptu est. Δασπλῆτας *atroces* vocat Eumenidas Homerum sequutus Odyss. ε'. 234. Docte hanc vocem illustravit Ruhnkenius Epist. crit. p. 156. qui nec Euphorionem neglexit. Immodicum in hujus etiam vocabuli usu se praestitit

Nonnus, qui, quod dubito an antiquiores fecerint, etiam ad res inanimatas hanc vocem transtulit, velut Lib. XIV. 298. *κοιρανίῃ δασπλής*, XV. 32. *δασπλῆτα σιδηρείης γένυν ἅρπης*, XXI, 63. *πέλεκυς δασπλής*, XXII. 219. *δασπλὴς μάχαιρα*, XXIII. 25. *μύθος δασπλὴς*, et aliis locis. — V. 2. *ἀργῆτα* non intelligo; vereor ne corruptum sit. Pro *θυγατρίδαι* certe scribi debet *θυγατριδαῖ*, quamquam ne hoc quidem ad prosodicas leges satis idoneum est. Fortasse placuit Euphorioni soluta forma *θυγατριδέαι*, quemadmodum Alcman apud Apollonium de Pron. p. 403. B. *ἀδελφιδέος* dixit pro *ἀδελφιδοῦς*. Quid autem est, quod Furias Phorci *θυγατριδᾶς* dicit? Nimirum Phorcys seu Phorcus hoc loco non est marinus ille deus, sed Orcus seu Erebus, quem fuisse qui Noctis patrem perhiberent docet Varro apud Festum s. v. Erebus p. 283. 49. Noctis autem filiae, ut constat, Eumenides fuerunt; igitur vocari potuerunt ab Euphorione *Φόρκυνος θυγατριδαῖ*. Quod de Phorco seu Orco dicebam, confirmat Phanocles Stob. Serm. LXII. p. 399.

Ἐν δὲ χέλυν τύμβῳ λιγυρὴν θέσαν, ἣ καὶ ἀναύδους
πέτρας, καὶ Φόρκου στυγνὸν ἔπειθεν ὕδωρ.

quo versu *Φόρκου ὕδωρ* de *mari* minus recte interpretatur Ruhnkenius Epist. crit. p. 202. Nostram explicationem occupavit Muellerus de Minyis p. 155. Eadem interpretatio adhibenda vi-

detur Sophoclis loco apud Plutarch. Symp. VI, 14. emendante Lobeckio ad Ajac. p. 342.:

Σειρῆνας εἰσαφικόμην
Φόρκου κόρας, θροοῦντε τοὺς Ἀΐδου νόμους.

Certe Sirenes apud inferos habemus etiam in nobili loco Platonis Crat. p. 403. D., quem attigit nuper Creuzerus Comment. Herod. p. 348. — V. 3. addidi *κλήμασι*. Tum scripsi Brunckio duce *ναρκίσσοιο* pro *ναρκίσσου* et *πλοκαμῖδας* pro *πλοκαμῖδες*, nisi quod ille minus recte dederat *πλοκαμίδας*. Quamquam ne sic quidem locus perpurgatus est, ut docet hiatus insolentia. De narcisso Furiarum flore dixit nuper Creuzerus Praef. Plotin. de Pulcr. p. 49. Eundem *πόθου στέμμα* nuncupat Nonnus Dion. X. 38.

στέμμα πόθου νάρκισσον ἐνιπλέξας ὑακίνθῳ,

respiciens opinor narcissum illum, cujus amore et desiderio captam fuisse fingunt Proserpinam, antequam a Plutone raperetur. Ad Sophoclis verba, ubi narcissus *μεγάλαιν θεαῖν ἀρχαῖον στεφάνωμα* vocatur, comparandus est Plutarch. Symp. III. 1. p. 647. B., ex quo sua hausit Clemens Alex. Paed. II. p. 78. Sylb.

LIII.

Ὁπλοτέρου τ' Ἀχιλῆος ἀκούομεν Εὐρυλόχοιο,
Δελφίδες ᾧ ὕπο καλὸν Ἰήϊον ἀντεβόησαν,
Κρῖσαν πορθήσαντι Λυκωρέος οἰκία Φοίβου.

Argum. Pindari Pyth. p. 298. ed. Boeckh. τὸν δὲ Εὐρύλοχον νέον ἐκάλουν Ἀχιλλέα, ὡς Εὐφορίων ἱστορεῖ. Ὁπλοτέρου τ' Ἀχιλῆος κ. τ. λ. Crisaei quum injustius vectigalia exigerent ab iis, qui oraculum consulturi Delphos proficiscerentur, tandem Eurylochus Larissaeus extitit, qui eorum temeritatem comprimeret et, debellatis Crisaeis, longo tempore intermissam Pythiorum solennitatem instauraret Olymp. XLVII. Vid. Strabo Lib. IX. p. 499. et 515. Cfr. Heynius ad Pind. Vit. p. 5. Bckh., ubi quod pro Crisaeis Cirrhaei nominantur, in eo non argutandum, siquidem Crisam et Cirrham non diversas civitates, sed diversa tantum unius ejusdemque civitatis nomina fuisse praeter Stephan. Byzant. p. 387. Pin. testatur Etymol. M. s. v. Κρῖσα p. 525. 20. injuria reprehensus a Meursio Lectt. Att. II. 2. Vid. Muellerus de Orchom. p. 495. — V. 2. malim ᾧ ἐπι. Ibidem vulgo ἀνεβόησαν. Correxit etiam Boeckhius et Naecke ad Choeril. p. 119. Simile est ἀντηχεῖν παιᾶνα, de duabus chori partibus alterno cantu sese excipientibus. Cf. Cuperi Observ. I. p. 4. — V. 3. addidi Κρῖσαν, auctore Boeckhio, qui quod initio versus legebatur ἀντηγώνισαν, recte delevit. Est interpretamentum verbi ἀντεβόησαν. Tum Λυκωρέος i. e. Δελφικοῦ a Lycorea, vico vel opidulo Delphico. V. Pausan. X, 6. Etymol. M. p. 571. 47. Schol. Apoll. Rh. II. 711. Similiter Callimachus H. in Apoll. 19. Λυκωρέος ἔντεα Φοίβου.

LIV.

Ἦ μὲν πάνθ', ὅσα που φύει εὐδείελος αἶα,
ἢ φύλλον γ', ἢ ποίη, ἢ ὅττ' ἐχρίμψατο λύθρον,
ὡς πυρὶ καρφόμενα ψαφαρῇ ἰνδάλλετο τέφρῃ.

Schol. Arati Phaen. 519. *καυστικὸς γάρ ἐστιν αὐτῆς* (hydram Lernaeam dicit) *ὁ ἰός. καὶ Εὐφορίων· Ἦ μὲν πάνθ' ὅσα κ. τ. λ.* Emendavit locum Bentl. ad Callim. in Jov. 87. V. 1. erat *ἢ μὲν πάνθ'.* — V. 2. *ἢ ποίην, ὅττ' ἐχρ.* — V. 3. *καρφόμενον* et *ἰνδάλλεται.* Idem locus pejus etiam habitus legitur apud Theonem in Arat. p. 309., ubi primo versu est *τῆς μὲν τῶν ἰσαφύει,* secundo *ἢ φύλλον ἢ ποίην ὅττ' ἐχρ.* et tertio *καρφώμενον.* Versus secundi structuram metricam compares cum Antimachi versu apud Athen. VII. p. 504. F. *ἢ ὄκκην ἢ ἵππον ἢ ὃν κίχλην καλέουσι,* de quo minus circumspecte dixit Schellenberg p. 69. Ibidem, si sana est edita lectio, notandum *ὅττι* elisum; *λύθρον* simpliciter de pulvere dixit, contra aliorum poetarum usum, apud quos fere cruoris pulvere commixti significatum habet.

LV.

Ἦ οἱ Μούνικον εἶα τέκε πλομένῳ ἐνὶ ἄρῃ,
ἀλλὰ ἑ Σιδονίῃ τε καὶ ἐν κνήμῃσιν Ὀλύνθου
ἀγράσσονθ' ἅμα πατρὶ πελώριος ἔκτανεν ὕδρος.

Tzetzes ad Lycophr. 494. Athamas, Thesei filius, quum ante Graecorum expeditionem, Diomede comitante, pacis leges Trojanis laturus Trojam venisset, Laodicen, Priami filiam, compressit ex eaque filium, cui Munito nomen, suscepit. Capta Troja Laodice ἀπῆρε μετ' αὐτοῦ κομίζουσα καὶ τὸν Μούνιτον. Περὶ δὲ τὴν Θράκην γινομένων καὶ κυνηγετούντων ὄφις δακὼν τὸν Μούνιτον ἀνεῖλεν, ὥς φησιν Εὐφορίων. Ἢ οἱ Μούνιτου κ. τ. λ. Pro υἷα codd. υἱὸν. Ibidem memorabile est πλομένῳ ἐνὶ ὥρῳ pro eo, quod et usus et ratio postulat, περιπλομένῳ. Compares, quod eodem insolentiae vitio laborat, ἠνεκὲς pro διηνεκὲς, de quo dixit post Hermannum Naekius ad Choeril. p. 170. De ὥρῳ anno cf. Plutarch. Sympos. p. 677. D. Minus usitata est ea vocis significatio, qua *noctem* denotat. Hesychius: ὥρος, ἡ νύξ. ex quo explicandus Dionysii locus apud Brunck. Anal. II. p. 254. γλαυκὰ δε πάροιθε σελάνα χόρον ὥριον ἡγεμονεύει, ubi *nocturnum chorum* dicit quam πληθὺν ἀστερόεσσαν vocat Poeta apud Julian. Orat. p. 299. D.

καὶ διὰ κυανέης ἁλὸς ἔρχεται· οὐδ' ἐλελήθει
πλήθους ἀστερόεσσα παλινδίνητος ἐοῦσα.

ubi legendum οὐδὲ λελήθει πληθὺς ἀστερόεσσα. Ceterum ad Euphorionis locum respexit Pausanias Vol. III. p. 244. Εὐφορίων δὲ ἀνὴρ Χαλκιδεὺς σὺν οὐδενὶ εἰκότι τὰ εἰς τὴν Λαοδίκην ἐποίησε. Eandem tamen rationem sequutus est He-

gesippus in Milesiacis apud Parthen. Erot. XVI. p. 43. χρόνου δὲ προϊόντος γίνεται τῷ Ἀκάμαντι υἱὸς Μούνητος, ὃν ὑπ' Αἴθρᾳ τραφέντα μετὰ Τροίας ἅλωσιν διεκόμισεν ἐπ' οἶκον. καὶ αὐτὸν θηρεύοντα ἐν Ὀλύνθῳ τῆς Θράκης ὄφις ἀνεῖλεν. Alii aliter narrant. Vide Heynius ad Apollod. p. 302.

LVI.

Ἐς Φθίην χιλοῖο κατήϊε πάμπαν ἄπαστος·
τοὔνεκα Μυρμιδόνες μιν Ἀχιλέα φημίξαντο.

Etymol. M. p. 181. 28. Ἀχιλλεὺς — διὰ τὸ μὴ θιγεῖν χείλεσι χιλῆς ὅ ἐστι τροφῆς. ὅλως γὰρ οὐ μετέσχε γάλακτος, ἀλλὰ μυελοῖς ἐλάφων ἐτράφη ὑπὸ Χείρωνος· ὅτι ὑπὸ Μυρμιδόνων ἐκλήθη, καθά φησιν Εὐφορίων. Ἐς Φθίην χιλοῖο κ. τ. λ. Idem locus est apud Eustath. ad Iliad. p. 15, 11. Rom., ubi χιλοῦ legitur et ἄγευστος. Praestat ἄπαστος. Hesychius ἄπαστος ἄγευστος. Eustath. ad Dionysii Perieg. 828. πάσασθαι ὅ ἐστι γεύσασασθαι. Idem habet Tzetzes Exeg. p. 61. διὰ τὸ χιλῆς ἄμοιρον εἶναι, ὡς Εὐφορίων φησὶν ὁ Αἰσχύλου πατήρ. Ἐς Φθίην κ. τ. λ., ubi adverte hominis imperitiam Euphorioni, Aeschyli patri, hos versus tribuentis. In Achillis nomine explicando eandem etymologiae rationem sequuti sunt Suidas Vol. III. p. 671. Eudocia Jon. 54. Schol. Iliad π. 36., inepte illi quidem, ineptius tamen Tertull. de Pall. III. 6. *ille ferarum medullis educatus*

unde et nominis consilium, quandoquidem labiis vacuerat ab uberum gustu. Non minus miram rationem commentus est Ptolemaeus Hephaest. apud Phot. CXC. p. 490. Achillem vocatum dicens *ὅτι ἐν τῶν αὐτοῦ χειλέων κατακαυθείη*, quod disertius explicat Agamestor Epithal. Pel. et Thetidis apud Tzetzen ad Lycophr. 178. Ceterum ejusmodi lusus etymologici, quantumvis a nostro sensu alieni, non tamen displicuisse videntur poetis graecis. Tractavit hoc argumentum primus quod sciam Jos. Scaliger Conj. in Varr. VI. p. 231., sed diversissima, ut videtur, confundens. Ita Aeschylea Promethei originatio Prom. 85. *αὐτὸν γάρ σε δεῖ προμηθέως, ὅτῳ τρόπῳ τῆσδ' ἐκκυλιφθήσει τύχης*, nihil habet, quod merito reprehendas, praesertim si ab eo prolatam memineris, qui acerbis et mordacibus dicteriis Prometheum quoquo modo lacessit. Ad quod miror non attendisse elegantissimi virum ingenii Petrum Elmslejum ad Eurip. Bacch. 508., a quo illud etiam minus recte factum arbitror, quod *προμηθέως* in *προμηθίας* mutari voluit. Substantivo *προμηθεὺς prudentia* usus est Pindarus VII, 44., ad quem locum vide Boeckhium. Magis etiam mira sunt, quae narrat Scaliger de Artapherne, quem unice metri necessitate coactus in Artaphrenem mutavit Aeschylus. Sed prima hujus etymologici studii indicia et quasi semina sparsa videmus ab Homero Iliad. VI, 405., ubi Astyanactis, et Odyss. XIX, 407., ubi Odyssei

nominis rationem reddidit. Hunc proximo intervallo sequuti sunt Homeridae, veluti auctor Hymni Apoll. 373., ubi vide Hermannum. Nec aspernatus est hanc rationem Hesiodus in Genealogia Heroica p. 174. Gaisf. ubi de Ileo, et Auctor Aegimii apud Stephan. Byzant. s. v. Ἀλβωνεύς, ubi de Euboeae nomine agitur. Cyclicos poetas probabile est frequentius his dusibus indulsisse, nec refugit eos severa Musa Antimachi, quem vide apud Schol. Apoll. Rh. II. 296. et Strabonem Lib. XIII. p. 588. Ejusdem poetae versus de nomine urbis Teumessi apud Stephan. Byzant. s. v. Τευμησσός, Schellenbergius p. 54. ita correctos exhibuit:

Οὔνεκά οἱ Κρονίδης, ὅστε μέγα πᾶσιν ἀνάσσει,
Ἄντρον ἐνὶ σπιῇ τευμήσατο, τόφρα κεν εἴη
Φοίνικος κούρα κεκευθμένα. ὡς ἄρα μή τις
Μηδὲ θεῶν ἄλλος γε παρὲξ φράσσαιτό κεν αὐτοῦ.

Ubi secundo versu vide an scripserit poeta ἄντρον ἐνὶ στίῃ τευμήσατο. Hesychius στία, στενοχωρία ἢ λιθοκοπία. Versu tertio fortasse dederat poeta: Φοίνικος κούρη κεκυημένη. Nec enim placet in quod quivis incidat κεκρυμμένα. In postremis verbis fugit doctissimum editorem orationis color plane Homericus. Pro ὡς scribendum erat ὥς, locus autem ita vertendus: *adeo nemo quisquam, ne deorum quidem, Jovem prudentia se superaturum speraverit.* Quod postremo versu legitur παρὲξ φράσσαιτο admonet me Schnei-

deri notae ad Nicandri Alex. 29. *καί τε παρὲξ λιστρωτόν* adscriptae: *pudet relicti παρὲξ, quod in παρὲκ mutari jussit Bentlejus.* Non puduisset virum egregium, si meminisset Homeri Odyss. XIV. 168. *παρὲξ μεμνώμεθα*, et Herod. V. 7. *παρὲξ τῶν ἄλλων.* Optime de hac re disputavit Etymol. M. p. 324. 14. Sed redeo unde digressus sum. Parcius in illo etymologiarum captandarum studio sibi indulserunt poetae lyrici; neque id mirum. Quamquam ne apud hos quidem exempla plane desunt, velut Pindarica originatio Jami. Apud tragicos poetas contra, praesertim apud Euripidem, ut erat ad omnis generis ineptias propensissimus, nihil hac re frequentius. V. Elmslejus ad Eurip. Bacch. 508. Alexandrinos et qui hos proximo intervallo praecesserunt verbo tetigisse sufficiat. De reliquis dixit Lobeckius ad Sophoclis Ajac. 420. coll. Valckenario ad Phoen. 659. Apud Etymol. M. p. 665, 46. qui leguntur incerti auctoris versus:

Τὸν μὲν καὶ Περσῆα μετεκλήϊσσαν Ἀχαιοί,
οὕνεκεν ἄστεα πέρσεν ἀπειρεσίων ἀνθρώπων,

sunt fortasse Euphorionis, quem in Dionyso de Persei rebus exposuisse certissimum est.

LVII.

Καὶ τόκα μέτρια μέν τις ἐπὶ φθιμένῳ ἀκάχοιτο,
μέτρια καὶ κλαύσειεν· ἐπεὶ καὶ πάμπαν ἄδακρυν
Μοῖραι ἐπημήναντο.

Servavit Stobaeus Serm. CXXIII. p. 616. Gesn. Tit. CXXV. p. 508. Grot. Pro τόκα Kayser ad Philet. p. 49. scripsit τότε. At passim Euphorio formis usus est doricis.

LVIII.

Ἦ μὲν δὴ Φοῖβός τε Ποσειδάων τ' ἐκάλεσσαν
Αἰακόν, οὐκ ἀβοήθητοι κρήδεμνα δέμοντες.

Schol. Pindari Olymp. VIII. 41. p. 194. Bkh. τὸν Ποσειδῶνα καὶ Ἀπόλλωνα εἰς τὴν τοῦ τείχους κατασκευὴν φησι τὸν Αἰακὸν προσλαβεῖν. — παρ' οὐδενὶ δὲ πρεσβυτέρῳ Πινδάρου ἡ ἱστορία. ὁ δὲ Εὐφορίων φησίν· Ἦ μὲν δή κ. τ. λ. Primo versu Cod. ἡ μὲν Δηΐφοβος. Correxit Gerhardus. V. 2. cod. ἀβοήθητοι πρὸς κρήδεμνα δέμονες. Correxit Boeckhius; fortasse recte. Quamquam non intelligitur unde irrepserit vocula πρός, in qua vide an lateat πατρός. Fortasse scripserat poeta, si quis alius, novandi studiosissimus: οὐκ ἀβοητὶ πατρός *non injussu patris moenia condentes.* Ab Jove jussos Phoebum et Neptunum Trojana moenia struxisse tradit Homerus Iliad. XXI. 444.

LIX.

Πολλάκις οἱ κλισίῃσι πυληγενέεσσι τε νηυσὶν
ἐννύχιοι πίτναντο νόσῳ ἅπερ ἰητῆρος.

Schol. Victor. ad Iliad. XIX. 18. apud Heynium Vol. VI. p. 623. πρὸ ὀλίγου δὲ χωρισθεὶς (Agamemno a Nestore) ὡς ἂν εἰς ἰατρὸν νοσῶν

θέλει φοινᾶν πάλιν. ὥσπερ καὶ Εὐφορίων φησί. Πολλάκις οἱ κ. τ. λ. Codex πυληγενεῆσι, quod correxit Heynius. Νῆες πυληγενεῖς, naves Pyliae sive Nestoreae, ut *Grajugenas domos* dixit Catullus Epithal. P. et Th. 35. Pro πίτναντο Heynius recte, ut videtur, πίλναντο. Totus locus ita scribendus videtur:

Πολλάκις ἐν κλισίῃσι πυληγενέεσσί τε νηυσὶν
ἐννύχιοι πίλναντο, νόσων ἅπερ ἰητῆρας.

Nisi malis πολλάκι οἱ — ἰητῆρι. Κλισίας nescio quid moverit Heynium, ut non de *tentoriis*, sed de *lectis aegrotorum* explicaret. Sensus est: *Saepe ad Nestorem Graeci tanquam ad medicum accesserunt.*

LX.

Ἡ Αἴτνην ψολόεσσαν ἐναύλιον Ἀστεροπαίου. —
Λιγνύν τε ψολόεσσαν ἀϊδνήεντά τε καπνόν.

Schol. Nicandri Ther. 289. σημαίνει δὲ ἡ λέξις (ψολόεν) τρία. ἔστι γὰρ ψόλον τὸ μέλαν, τὸ σποδοειδές, τὸ λαμπρόν. Εὐφορίων ἡ Αἴτνην — Ἀστεροπαίου. καὶ ἔτι· λιγνύν δὲ ψολ. κ. τ. λ. Ita Schneiderus pro Ἀστεροπαῖον. Idem voluit Heynius ad Apollod. I. p. 4., nisi quod is male dedit: ἐναυλόν τ' Ἀστεροπαίου. Insolens forma Ἀστεροπαῖος pro Στερόπης vel Ἀστερόπης, in Euphorione tamen non admodum miranda; nisi is scripsit: ἐναύλιον Ἀστερόπαο. Secundo versu editur vulgo

εἰχλὺν δὲ ψολ. Cod. Goett. *ἰγνύν τε ψολ.*, quod in *λιγνύν τε ψ.* recte mutavit Schneiderus.

LXI.

— — *Οὕνεκα δή μιν*
Ἴφι βιησαμένη Ἑλένη ὑπεγείνατο Θησεῖ.

Etymol. M. p. 480. 18. *Ἴφις, ὄνομα κύριον παρὰ τὸ ἶφι, τὰ δὲ παρ' αὐτοῦ πάντα διὰ τοῦ ῖ γράφεται, οἷον Ἰφιμέδουσα, Ἰφίγενής, Ἰφικλῆς. Εὐφορίων αὐτὴν ἐτυμολογεῖ Ἑλένης καὶ Θησέως, ὑποβλητὴν δὲ δοθῆναι Κλυταιμνήστρᾳ. Οὕνεκα δή μιν κ. τ. λ.* Ante *Εὐφορίων* inserendum *Ἰφιγένεια*, a qua voce novus orditur articulus a priori, qui in *Ἰφικλῆς* desinit, sejungendus. Scripsi autem *βιησαμένη* pro edito *βιασαμένη* e Cod. Barocc. apud Bekkerum An. Gr. III. p. 1446. De passiva significatione aoristi medii vide quae supra dixi ad Fragm. XLIX. Pro *ὑποβλητὴν* Cod. Paris., notante Bekkero, habet *ὑποβλῆτιν*, qua ipsa voce Euphorio usus esse videtur. Ut a *δασπλὴς δασπλῆτις*, ita ab *ὑποβλὴς ὑποβλῆτις*. Forma *βλὴς* usus est poeta vetus apud Schol. Venet. ad Iliad. 23, 254. *Νύμφα φίλη, καὶ βλητὶ λίθῳ ἐνὶ δάκρυον ἧκας.* Quod autem Thesei et Helenae filiam dicit Iphigeniam, id etiam alios tradidisse docet Pausanias Lib. II. p. 261. *Εὐφορίων Χαλκιδεὺς καὶ Πλευρώνιος Ἀλέξανδρος ἔπη ποιήσαντες, πρότερον δὲ ἔτι Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος κατὰ ταὐτά φασιν Ἀργείοις Θησέως εἶναι θυγατέρα Ἰφιγέ-*

νειαν. Plura vide apud Tzetzen ad Lycophr. 513. Munkerum ad Hygin. 79. p. 131. cll. Spanhemio ad Callim. in Del. 292.

LXII.

Μοῦσαι ποιήσαντο καὶ ἀπροτίμαστος Ὅμηρος.

Eustath. ad Hom. p. 1183. ed. Rom. *τὸ μάσασθαι τὸ ἅψασθαι. ὅθεν καὶ Εὐφορίων φησίν· Μοῦσαι — Ὅμηρος. ἤγουν οὐ δυσχερὲς ἐφάψασθαι τῆς δυνάμεως.* Idem versus est apud Schol. Victor. Vol. VII. p. 664.

LXIII.

Αὐτῷ σὺν τελαμῶνι κυνηλατέων νεοτμήτῳ.

Schol. Nicandri Ther. 22. *κυνηλατέοντος δὲ ἀντὶ τοῦ κυνηγετοῦντος, ὡς Εὐφορίων· Αὐτῷ σὺν τελαμῶνι νεοτμήτῳ.* Excidisse vocem *κυνηλατέων* in promtu est; itaque addidi. Pro *νεοτμήτῳ* rectius legas *νεοκμήτῳ.*

LXIV.

Πτῶκες ἀειχλώροισιν ἰαύεσκον μολοθούροις.

Schol. Nicandri Alex. 147. *ἡ μολοθούρος βοτάνη ἐστίν, ἀειθαλὴς δέ· διὸ καὶ Εὐφορίων φησὶ· Πτῶκες κ. τ. λ.*

LXV.

— — Ὑστόμαντις ὅτε κρώξειε κορώνη.

Schol. Nicandri Ther. 406. ὅτι χειμῶνα δηλοῦσιν οἱ κόρακες, καὶ Ἄρατος μαρτυρεῖ καὶ Εὐφορίων ὁμοίως· Ὑετόμαντις ὅτε κρ. κ.

LXVI.

Ὀρχομενὸν Χαρίτεσσιν ἀφαρέσιν ὀρχηθέντα.

Pollux Onom. IV. 95. τάχα δὲ καὶ Ὀρχομενὸς παρὰ τὴν τῶν Χαρίτων ὄρχησιν, ὡς Εὐφορίων· Ὀρχούμενον Χαρίτων φάρεσιν ὀρχηθέντα. MS. Χαρίτεσσιν ἀφαίρεσιν unde genuinam lectionem restituit Piersonus ad Moerin p. 79. probantibus Ruhnkenio ad Callim. I. p. 535. Ern. et Gaisfordio Poet. Min. I. p. 195. Pessime Toupius Emend. in Suid. Vol. IV. p. 368. χαρίτων φαρέεσσιν ἐν ὀρχηθέντα. Recte autem dicit Χαρίτεσσιν ἀφαρέσιν nudis Gratiis, unde proverbium γυμναὶ χάριτες apud Suid. III. p. 657. Idem sequuti sunt artifices; certe non nisi antiquiori tempore Gratiarum signa vestiri solebant, teste Pausania Lib. IX. 35. p. 782., ut Seneca de Benefic. I. 3. solutas et pellucidas vestes Gratiis tribuens, antiquiora artis opera spectasse videatur. Non defuisse tamen inter serioris aetatis artifices, qui ad pristinum morem reverterentur, praeter Caracallae numum apud Millin. Theatr. Mythol. Nro. 202. p. 37. docent, quae disputavit Boettigerus de Nuptiis Aldobr. p. 146. Cfr. Winckelm. Hist. Art. IV. p. 112. et Monum. Ined. Vol. I. p. 40. ed. Berol. De Gratiarum cultu apud Orchomenios

nota omnia e Pindaro, Theocrito, Pausania, aliis. V. Manso Specimen Mythol. p. 425. et Muelleri Hist. Civitt. Graec. p. 177. sqq. In Alciphronis loco Lib. III. 1. ἐνορχεῖσθαι ταῖς παρειαῖς εἴποις ἂν τὰς χάριτας Ὀρχομενὸν λιπούσας καὶ τῆς Γαργαφίας κρήνης ἀπονιψαμένας Wagnerus imperite Orchomenum Arcadicam intelligit. Ibidem revocanda Codicis lectio Ἀργαφίας. Expressit enim Parthenii versum apud Etymol. M. p. 157. 32. νιψάμεναι κρήνης ἔδραμον Ἀργαφίης. Quod autem Orchomeni nomen ab ipsa illa Gratiarum ὀρχήσει derivavit Euphorio, in eo praeter Alciphronem nactus est imitatorem Nonnum Dion. XXIV, 261. καὶ χορὸν ὠρχήσαντο χορήτιδες Ὀρχομενοῖο. Veriorem etymologiae rationem monstrat vetus et genuina nominis forma Ἐρχομενός, de qua Boeckhius Oecon. Attic. II. p. 383. et Mueller Hist. Civitt. Graec. I. p. 129.

LXVII.

Ὀθνεῖον Πέρσης Λέων γε μὲν Εὐρυμέδοντα.

Schol. Victor. apud Heyn. ad Iliad. XIV. 319. p. 655. Δανάης, ἐξ Εὐρυδίκης καὶ Ἀκρισίου. Εὐφορίων· Ὀθνεῖον κ. τ. λ. Euphorionis versum quo consilio addiderit Scholiastes, non perspicitur; intercidisse putes fragmenti partem eam, in qua Perseus Danaes, Danae Eurydicae et Acrisii filia diceretur. Caeterum Heynio Euphorionis versum ad praelium cum Seriphiis et Polydecte

spectare existimanti non accedam. Mihi potius ad Persei pugnam cum Dionyso pertinere videtur; in corrupto *Ὀθνεῖον* latet nomen proprium, nec *Λέων* sanum est. Doricam formam *Πέρσης* non erat cur suspectam haberet Heynius. Vide Prisciani locum apud Schellenb. ad Antim. p. 56.

LXVIII.

Ἤ τις ἔχεις κληῖδας ἐπιζεφύροιο Δυμαίης.

Stephanus Byz. s. v. *Δύμη* p. 709. Pin. *Δύμη πόλις Ἀχαΐας ἐσχάτη πρὸς δύσιν — τὸ θῆλυ δὲ Δυμαία. Εὐφορίων· ἥτις ἔχεις κ. τ. λ.* Vulgo *κληῖδα.* Membr. *κληῖδας.* Accentum mutavit Friedemann de M. S. P. p. 325. Contra reliquorum poetarum usum mediam corripuit Pindarus Pyth. IX. 66. *κρυπταὶ κλαῖδες ἐντὶ σοφᾶς πειθοῦς.* Voc. *Δυμαίας* pro adjectivo habuisse videtur Stephanus, cum tamen res ipsa doceat Euphorionem *Δυμαία* dixisse pro *Δύμη.* Hinc etiam primam syllabam corripuit, ut fere fieri solet in dilatatis verborum formis; ita *ἄνω* et *ἄνυω*, *τῦφῶν* et *Τῦφάων*, fortasse etiam *ὕδω* et *ὑδέω*, de quo Naeke ad Choeril. p. 183. Formam *Δυμαία*, sic enim legendum videtur pro *Δυμαῖαι*, servavit etiam Etym. M. p. 291. 12. Implorat autem, cuicunque haec tribuit Euphorio, Minervam, cujus templum et vetustissimum simulacrum apud Dymaeos commemorat Pausanias Lib. VII, 18. p. 566. Quod *κλεῖδας* urbis tenere dicitur dea, id ad urbis tutelam Minervae commissam recte trahit Wesseling.

Observ. I. p. 7. laudans eam in rem Aristoph. Thesm. 1152. ubi itidem habes *Παλλάδα κληδοῦχον*, et Euripid. Iphig. T. 132. ubi Diana vocatur *κλειδοῦχος*. Alio sensu *Μοῖρα* Necessitatis *κλειδοῦχος* dicitur apud Plutarch. de Genio Socr. p. 591. B. Orphicos decadem *κληδοῦχον* vocasse auctor est Etymologus M. p. 253. 50.

LXIX.

Αὐλητὴς Ὠρωπός τε καὶ Ἀμφιάρεια λουτρά.

Stephanus Byz. s. v. *Ὠροπὸς* p. 734. Pin. *Ὠρωπός, πόλις Μακεδονίας — καὶ ἄλλη Βοιωτίας, περὶ ἧς Εὐφορίων· Κλιτρὶς Αὐλητὴς Ὠρωπός τε κ. τ. λ.* In corrupto *κλιτρὶς* quid lateat, alii viderint. Cod. Rhed. *κλιτορίς*. Pro *Αὐλητὴς* legendum videtur *Αὐλίς τ'*, ut fere Salmasius Exerc. Plin. p. 104. F., nisi quod ille minus recte *Αὐλὶς τοῦ Ὠρωπός τε* etc. Memorabilis est forma *Ἀμφιάρειος* pro *Ἀμφιαράειος*, ut *Ἰολάειος*, *Μενελάειος* et alia, de quibus Lobeck ad Phryn. p. 870. Amphiarai lavacrum in Atticae et Boeotiae confiniis prope Harma et Oropum commemorat etiam Aratus apud Brunck. Anal. I. p. 253. ubi vide Jacobs. Vol. VII. p. 169. Fuit haud dubie *νᾶμα μαντικόν*, quale in Clario nemore fuisse testantur Clemens Alex. Protr. p. 4. 29. Iamblich. de Myster. Aeg. III. 11. Macrobius Saturn. VI. p. 309. et Schol. Apollon. Rhod. I. 508. qui illud e Mantus lacrimis ortum tradidit. Ibi-

dem templum et oraculum Amphiarai fuisse docet Livius Lib. XLV. 27. *Inde Oropum Atticae ventum est, ubi pro deo vates Amphilochus colitur, templumque vetustum est fontibus rivisque circa amoenum*, ubi legendum *Amphiaraus*, quod monuit etiam Sylburg. ad Pausan. I. 39. *ἐστὶ δὲ Ὠρωπίοις πηγὴ πλησίον τοῦ ναοῦ ἣν Ἀμφιαράου καλοῦσιν*. Amphiarai autem nomen inde traxit, quod ibi una cum curru a terra devoratus ferebatur, quo factum est, ut idem locus *Harma* diceretur, teste Stephano Byzant. p. 112. *Ἅρμα, πόλις Βοιωτίας τῆς Ταναγρικῆς — ἐκλήθη ἀπὸ Ἀμφιαράου τοῦ ἅρματος — καλεῖται καὶ Λουτρὰ Ἀμφιαράου*. Haec postrema verba male ad Atticum Harma in Parnethis convallibus situm, de quo cfr. Ruhnk. Auct. Hesych. ad I. p. 586., traxerunt Pinedo et Salmasius. Recte locum intellexit H. Stephanus in Thesauro Gronov. Vol. XI. p. 17. B. Scholiastes Venet. ad Iliad. *β*. p. 74. *Ἅρμα, ὅτι ἐκεῖ καθεπάγη τὸ ἅρμα Ἀδράστου, οἱ δὲ τὸ Ἀμφιαράου*, ubi legendum videtur *κατεπόθη*. Eustath. p. 266. Alii contra ad Thebas Amphiaraum devoratum fuisse tradunt. Pausan. IX. 8. p. 727. *ἐκ δὲ τῶν Ποτνιῶν ἰοῦσιν εἰς Θήβας ἐστὶν ἐν δεξιᾷ περίβολος — διασεῖσαι δὲ Ἀμφιαράῳ τὴν γῆν ταύτην νομίζουσιν*. Hos sequutus est Pindarus. Istic tamen oraculum fuisse Amphiarai, quae Hermanni est sententia ad Pind. Vol. III. p. 350., veterum certe scriptorum nullus docuit, qui omnes mirifice in eo consentiunt,

ut illud prope Oropum fuiffe dicant. Cf. Dicaearchus in Gronovii Thesauro Ant. Graec. Vol. XI. p. 36. B.

LXX.

Ὕδατα δινήεντος ἀμευσάμενος Ἀθύραο.

Stephanus Byz. s. v. *Ἀθύρας* p. 50. *Ἀθύρας, ἐπίνειον καὶ ποταμὸς περὶ τὸ Βυζάντιον. ἔστι δὲ καὶ πόλιπος Ἀθύρας. κλίνεται δὲ ἰσοσυλλάβως, ὡς Εὐφορίων· Ὕδατα κ. τ. λ.*

LXXI.

Ἄστεα Δυῤῥαχίης τε καὶ ἔθνεα Ταυλαντίνων.

Stephanus Byz. s. v. *Δυῤῥαχία* p. 741. *λέγεται δὲ καὶ ἡ χώρα τῆς Ἰλλυρίας Δυῤῥαχία. Εὐφορίων· Ἄστεα κ. τ λ.* Idem s. v. *Ταυλάντιοι* p. 640. *Ἰλλυρικὸν ἔθνος. Εὐφορίων δὲ μετὰ τοῦ ν ταυλαντίνους αὐτούς φησι.*

LXXII.

Ἠέ ποθεν ποταμῶν κελέβῃ ἀποήφυσας ὕδωρ.

Athenaeus Lib. XI. p. 475. F. *καὶ Εὐφορίων· Ἠέ ποθεν ποταμῶν κ. τ. λ.* Ex *Ἀραῖς ἢ Ποτηριοκλέπτῃ* ductus videtur hic versus Casaubono Lectt. Theocr. III. p. 245., haud aliam ob causam, quam quod in unico hujus carminis fragmento iterum *κελέβῃ* occurrit.

LXXIII.

Δωροφόροι καλεοίαθ' ὑποφρίσσοντες ἄνακτα.

Athenaeus Lib. VI. p. 265. D. *τάχ' οὖν διὰ τοῦτο καὶ Εὐφορίων ὁ ἐποποιὸς τοὺς Μαριανδύνους δωροφόρους κέκληκεν. Δωροφόροι καλεοίαθ' ὑποφρ. ἄν.* Ita Schweigh. recte emendavit Codicis lectionem *καλε οἰά θ'*. Vulgo *καλέονται*. Ad sententiam loci tenendum, Mariandynos ab Heracleotis devictos et sub jugum missos ea conditione perpetua victoribus ministeria pollicitos esse, ut nunquam extra Heracleotarum fines venderentur. Vid. Posidonius apud Athen. l. c. et Strab. XII. p. 51. *Δωροφόροι* autem h. e. *munera ferentes* sive potius *accipientes* vocabantur propterea quod ab Heracleotis victu quotidiano sustentabantur; idque nomen eam ob causam iis imponebatur, ne unquam servilis conditionis obliviscerentur. Idque ipsum significare voluit Euphorio, cum dicit *ὑποφρίσσοντες ἄνακτα*, sive potius *ἄνακτας dominos*, quae verba ex ea carminis alicujus parte desumta suspiceris, ubi ipsa illa Heracleotarum de Mariandynis victoria ejusque leges et conditiones enarrarentur: *δωροφόροι appellantur, dominos suos reveriti.* Similis Helotum conditio apud Lacedaemonios, Penestarum apud Thessalos et, si Eustathio fides, apud Macedonas, *Θητῶν* apud Athenienses, Calliciryorum apud Syracusanos, Corynephororum apud Sicyonios, Gymnesiorum apud Argivos, Clarotarum apud Cretenses. De quibus accurate ex-

posuit Ruhnken. ad Timaei Gloss. Plat. p. 214. cll. Huellmanno in libro bonae frugis pleno *Staatsrecht des Alterthums* Cap. III. p. 28. sqq. De Clarotis adde Grammat. Seguer. I. p. 292. *οἱ τῶν Λακεδαιμονίων Εἵλωτες καὶ τῶν Κρητῶν καροταί.* Corrige *Κλαρωταί.* Photius Lex. p. 124. *κλαρωταί, μέντοιποι* (adde *Κρητῶν*), *ὡς Μαριάνδυνοι ἐν Ἡρακλείᾳ καὶ Εἵλωτες ἐν Λακεδαίμονι, καὶ ἐν Θετταλίᾳ Πενέσται καὶ Καλλικύριοι ἐν Συρακούσαις.* Iidem *καλόφοροι* dicti, ut docet Athen. Lib. IV. p. 143. B. Nec diversi ab his *Μνωῖται* sive *Μνῶται* a *μνοῖα publicum servitium*, quo verbo usus est Sosicrates apud Athen. p. 263. F. cll. Hermone ibid. p. 267. F. Hinc emendandus Eustathius ad Dionys. Perieg. 555. p. 78. ed. Steph. *Ἀργεῖοι (ἐχρήσαντο) Γυμνησίοις καὶ Σικυώνιοι Κορυνηφόροις, καὶ Κρῆτες Ἀμωίταις, καὶ Ἰταλιῶται Πελασγοῖς.* Corrige *Μνωίταις.* Praeterea digna est quae advertatur forma *Γυμνήσιοι* pro usitato *Γυμνῆτες*, quam ne corruptelae suspectam habeamus, prohibet Steph. Byz. s. v. *χίος* ubi tamen Ruhnkenius l. c. *Γυμνῆτας* reponit. De Pelasgis quae dixit Eustathius, ad ea confer Victorium Var. Lect. I. 20.

LXXIV.

Καὶ οἱ γείνατο κοῦρον, ὃς οὐκ ἠλέκτορα εἶδεν.

Clemens Alex. Strom. IV. p. 207. Sylb. *τυφλὸς (ὁ πλοῦτος) ἐκ γενετῆς κηρύττεται· — καὶ*

φησιν ὁ Χαλκιδεὺς Εὐφορίων· Καὶ οἱ γείνατο κ. τ. λ. sc. Ceres Iasioni, quorum amores a multis commemoratos (vid. Theocr. III. 49. ubi in Scholio πλοῦτον legendum pro πλούτωνα, Diodor. Sic. V. 49. 77. Ovid. Amor. III. 10. 25. cll. Munkero ad Hygin. Fab. 270. p. 317.) nemo praeclarius cecinit Goethio Eleg. Rom. XII. 24. sqq. Ἠλέκτορα de Sole dixit, Homerum secutus Iliad. VI. 513. cll. Suida s. h. v. Isidorus Lib. XVI. 23. *Sol a poetis electron vocatur.* Fortasse *elector.*

LXXV.

Οἱ δ' οὔπω Σιμόεντος Ἀχαιΐδας ἄρσαμεν ἵππους.

Clemens Alex. Str. V. p. 240. Sylb. Ἀριστόκριτος μέμνηταί τινος ἐπιστολῆς οὕτως ἐχούσης· Βασιλεὺς Σκυθῶν Ἀτοίας Βυζαντίων δήμῳ. Μὴ βλάπτετε προσόδους ἐμάς, ἵνα μὴ ἐμαὶ ἵπποι ὑμέτερον ὕδωρ πίωσιν. Συμβολικῶς γὰρ ὁ βάρβαρος τὸν μέλλοντα πόλεμον αὐτοῖς ἐπάξεσθαι παρεδήλωσεν. Ὁμοίως καὶ Εὐφορίων ὁ ποιητὴς τὸν Νέστορα παράγει λέγοντα· Οἱ δ' οὔπω κ. τ. λ. Eadem habet Eusebius Praep. Ev. p. 703. Priora verba οἱ δ' οὔπω vereor ne quid vitii traxerint. Recte autem ἄρδειν genitivo junxit. Chaeremo apud Athen. II. p. 43. c. χἠμῶν δὲ πᾶσα δύναμις ὑδάτων ἄρδεται. Alcman ibid. XIII. p. 601. b. μηλίδες ἀρδόμεναι ῥοᾶν. Parthenius apud Etym. M. p. 137. 32. νιψάμεναι κρήνης ἔδραμον Ἀργα-

φίης. Cfr. Ruhnk. Epist. crit. p. 61. Ceterum qui Clementi Ἀτοίας, Ἀτέας dicitur Plutarcho *An seni Resp. sit admin.* p. 792. C. et *Non suaviter vivi sec. Epic.* p. 1095. F. Eadem forma reddenda Frontoni Strat. II. 4. 20. cll. Intpp. Lucian. Macrob. Vol. III. p. 215.

LXXVI.

Εἶπε δ' ἄνθη πέμφιγες ἐπιτρύζουσι θανόντα.

Galenus Comment. ad VI. Epid. p. 455. Bas. *τῶν προγνωστικῶν οἱ πλεῖστοι ἐπὶ τῶν κατὰ τοὺς ὄμβρους σταγόνων εἰρῆσθαί φασι τὰς πέμφιγας· ὁ δὲ Καλλίμαχος· Μὴ διὰ πεμφίγων ** ἐνάγουσιν ἔα. ὁ δὲ Εὐφορίων οὕτως· Εἶπε δ' ἄνθη κ. τ. λ.* Bentlejus Epist. ad Mill. p. 501. Lips. pro *εἶπε δ' ἄνθη* aut *εἰ πεδαναὶ* aut *ἠπεδαναὶ* corrigendum censuit. Possis etiam *ῥιγεδαναί*, de qua voce cf. Plutarch. apud Eustath. ad Hom. p. 1187. Pro *ἐπιτρύζουσι* Bentlejus malit *ἐπικλύζουσι*. Si quid mutandum, malim *ἐπιτρίζουσι*. Vid. Merrik ad Tryphiod. 311.

LXXVII.

Ὅς ῥά τε πᾶσιν ἔικτο θαλάσσιος ἠὔτε Πρωτεύς.

Schol. Apollon. Rhod. I. 156. de Periclymeno: *τοῦτον δὲ ὡς ἔγγονον αὐτοῦ ὁ Ποσειδῶν — ἄλλοις τε ἐκόσμησε καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ εἰς πάντα μεταβάλλεσθαι· ὡς καὶ Εὐφορίων· Ὅς ῥά τε πᾶσιν κ. τ. λ.*

LXXVIII.

Φοιταλέος διὰ πᾶσαν ἄδην ἐπάτησε κοθόρνῳ.

Schol. Apollon. Rhod. II. 55. *φοιταλέην, ἔμμανῆ, μανιωδῶς πορευομένην. Φοῖτος γὰρ ἡ μανία λέγεται, καὶ Εὐφορίων· Φοιταλέος κ. τ. λ.* Ita Scholia Stephaniana, Parisina *φοιταλέος δ' ἀνὰ πᾶσαν.* Valcken. ad Ammon. p. 149. *διὰ πᾶσαν ἄλην,* probante Blomfieldio Gloss. Aesch. Agam. p. 183. Causam mutationis idoneam non video; *διὰ πᾶσαν* sc. *γῆν,* quod in praecedentibus adfuisse videtur; *ἄδην* i. q. *συνεχῶς.* Apoll. Rhod. II. 81. *ἐπ' ἄλλῳ δ' ἄλλος ἄηται δοῦπος ἄδην.* Schol. *συνεχῶς.* Cfr. Nicand. Alex. 426. et Menophilus apud Stobaeum Floril. p. 271. Grot. *ὑπ' ἀμφαδίῃ (ἀμφασίῃ) ἀλεγεινῇ Θυμὸς ἄδην πεπότητο.* Hoc etiam sine causa attentavit Ruhnk. Epist. crit. p. 108. conjiciens *ἄλῃ πεπέδητο.* Pro *ἄδην* etiam *ἄδδην* scribi constat, quae vox eximenda Moschopulo Opusc. Gramm. p. 84. *τὰ κατ' εὐφημισμὸν λεγόμενα, ὡς ὅταν λέγομεν τὸν μήδε κλύοντα, ἄδδην κλυόμενον.* Corrigendum: *τὸν μηδένα κλύοντα Ἅιδην, Κλύμενον.*

LXXIX.

Στεψαμένη θαλεροῖσι συνήντετο δικτάμνοισιν.

Schol. Arati Phaen. 33. *δοκεῖ δὲ τὸ δίκταμνον πρὸς εὐτοκίαν συμβάλλεσθαι. διὸ καὶ τὴν Εἰλείθυιαν τούτῳ στέφουσι. καί που ἐπ' αὐτοῖς* (leg. *αὐτῆς*) *Εὐφορίων φησί· Στεψαμένη κ. τ. λ.* Ea-

dem, sed corrupta, leguntur apud Theon. p. 271. Vim dictamni ἐκτρωτικήν commemorat etiam Plutarch. de Aquat. et Terrestr. p. 974. D. ubi quod de Creticis capris narrat, plane convenit cum Ciceronianis de Nat. Deor. II, 50. ubi Creuzeri notatis adde eundem Plutarch. Gryllo p. 991. F. Omnino miram quandam et singularem huic herbae vim tributam esse a veteribus, etiam illud indicio est, quod dictamnum igne combustam angues fugare crediderunt, v. Etymol. M. p. 108. 38.

LXXX.

Οἳ πλόον ἠρνήσαντο καὶ ὅρμους αἰγιαλοῖο.

Eustathius ad Hom. Iliad. p. 266. *Ταναγραῖοι νῦν ἐστράτευσαν, ὡς Εὐφορίων· οἳ πλόον κ. τ. λ.* Schol. Venet. ad Iliad. II. 498. habet *ὅρκον αἰγιαλήων.* Eustathii lectionem praefert Heynius Vol. IV. p. 295. Immo legendum:

οἳ πλόον ἠρνήσαντο καὶ ὅρκους Αἰγιαλήων.

ubi qui *ὅρκοι* dicantur obscurum esse non potest. Recte autem *Αἰγιαλήων* h. e. *Graecorum.* Ut enim Achaei, ita etiam vetustum Achaeorum nomen *Aegialenses* pro ipsis Graecis ponitur. Vid. Strabo Lib. VIII, 7. Etymol. M. p. 28, 15. Idem tradit Helladius Chrest. p. 979. A. *καὶ Ἀχαιοὺς αἰγιαλούς τινες εἰώθασι καλεῖν.* Lege *Αἰγιαλεῖς.* Antimachus apud Etymol. M. p. 289. 6. *οἵ οἱ* (leg. *οἷοι*) *ἔσαν βασιλεύτορες Αἰγιαλήων*, ut e Valckenarii conjectura haec dedit Schellenb. p. 55.

comparato Theocrito Idyll. XXV. 174. ἔλπομαι οὐχ ἕτερον τάδε τλήμεναι Αἰγιαλήων.

LXXXI.

Ἀγχίαλον Βραυρῶνα κενήριον Ἰφιγενείας.

Schol. Aristoph. Lysistr. 648. *οἱ δὲ τὰ περὶ Ἰφιγένειαν ἐν Βραυρῶνί φασιν οὐκ ἐν Αὐλίδι. Εὐφορίων Ἀγχίαλον κ. τ. λ.* Brauron quam nobilis fuerit sacris et cultu Dianae, e multis multorum scriptorum testimoniis intelligitur. Vid. Hemsterh. ad Pollux. IX. 79. Iungerm. ibid. VIII. 107. Meurs. de Pop. Att. p. 705. Intpp. Herodot. VI. 543. quibus adde Diphilum apud Athen. VI. p. 223. a. Gramm. Seguer. p. 242. Eodem Iphigeniam, cum e Taurorum finibus profugisset, vetus illud Tauricae Deae simulacrum attulisse refert Pausan. I, 30. p. 80. Postea Brauroniae deae templum maxime Praxitelis signo nobilitatum fuisse constat ex eodem Pausania l. c. p. 55. et lib. VIII. 46. p. 694. ubi a Xerxe ablatum dicitur. In tanta illorum sacrorum celebritate non mirum est, fuisse qui Iphigeniae fabulam ab Aulide ad Brauronem referrent; quamquam qui ante Euphorionem id fecerit, scio neminem. Ceterum monuit jam Lobeckius de Morte Bacchi I. p. 14. integrum Euphorionis versum sibi vindicasse Nonnum Dionys. XIII. 186. ubi legitur *Ἰφιγενείης* et mutato accentu *Βραύρωνα*, quem ad modum etiam aliis in locis scriptum reperio.

LXXXII.

Χάλκειῃ ἀκάτῳ βουπλήθεος ἐξ Ἐρυθείας.

Eustathius ad Dionys. Perieg. 558. *ᾄδεται δὲ Ἡρακλῆς εἰς αὐτὴν πλεῦσαι χαλκῷ λέβητι, ὅτε καὶ τὰς Γηρυονείους ἀπήλασε βοῦς· Χαλκείῃ ἀκάτῳ β. ἐξ Ἐρυθείας, ὡς ὁ Εὐφορίων λέγεται ἱστορεῖν· ὁμοίως δὲ ὁ Ἐφέσιος Ἀλέξανδρος εἰπών.*

χαλκείῳ δὲ λέβητι μέγαν διενήξατο πόντον.

Eadem fere habet Eudocia Jon. p. 214. Pro *Ἐρυθείας* Euphorio scripserat haud dubie *Ἐρυθείης*. De Solis poculo, quo Hercules tanquam navigio usus ad Erytheam navigasse dicitur, nota omnia ex Athenaeo et Macrobio. Vid. Bentl. Resp. ad Boyl. p. 213. Lps. Sturz ad Pherec. p. 109. Suchfordt ad Stesich. p. 14. Weloner Zeitschrift für Kunst III. p. 501. cll. Schol. Apoll. Rh. IV. 1396.

LXXXIII.

Δίρφυν ἀνὰ τρηχεῖαν ὑπ' Εὐβοίᾳ κεκόνιστο.

Tzetzes ad Lycophr. 374. *τὸν δὲ Διρφωσσὸν* (Euboeae montem) *ὁ Εὐφορίων Δίρφυν καλεῖ. Δίρφυν κ. τ. λ.* Alii libri *Εὐβοίῃ*. Vit. 2. *Δίφρυν ἀνατρέχειν ὑπ' Εὐβοίας κεκόνιστο. Δίρφυν* tuetur Euripides Herc. Fur. 185 et Steph. Byz.: *Δίρφυς, ὄρος Εὐβοίας, ὡς Εὐφορίων.* Quamquam non mirer si quis Euphorionem novatorem *Δίφρον* scripsisse suspicetur pro usitatiore *Δίρφυς*. Ita variant *στίρφνος* et *στίφρος*, de quo Valcken. ad

Callim. Eleg. p. 288., τέρχνος et τρέχνος, de quo Ruhnken. Auct. ad Hesych. p. 1369. πεφαργμένος et ἐφαρξαντο pro πεφραγμένος et ἐφράξαντο, quod servavit Etym. M. p. 667. 22. Quam urbem ceteri Καρπασίαν, eam Dionysius Bessaricorum auctor dixerat Κραπατείαν, teste Steph. Byz. p. 360., hic quidem metri necessitate coactus. Pro πέρκνος alios dixisse πρέκνος docet Hesychius: πρέκνος, μελανόχρους. Hinc fortasse *precias uvas* explices ap. Virgil. Georg. II. 95. Alia ejusdem generis comparaverunt Salmas. ad Herod. Inscr. p. 123. et Valcken. ad Theocr. Adon. p. 149. A.

LXXXIV.

Βουκολέων Τρηχινίδα Τυμφρηστοῖο αἰπῆς.

Tzetzes ad Lycophr. 420. λέγεται δὲ τὸ ὄρος (Tymphrestus) ἀρσενικῶς, ἡ δὲ πόλις θηλυκῶς, ὡς Εὐφορίων. Βουκολέων τρυχινίδα Τυμφρηστοῖο αἰπῆς. Vit. 1. et Ciz. Τρηχινίδα Τυμφρηστῆς. Alii libri βουκολίων τραχινίδου τυμφρηστὰς αἰπῆς. Videant alii. Typhrestum hanc urbem vocat Stephan. Byz. p. 674. Τυφρηστὸς πόλις τῆς τραχῖνος — καὶ τὸ οὐδέτερον Παρθένιος· Τυφρήστιον ἔπος. Lege αἶπος, ut Παρηάσιον αἶπος, de quo Valcken. ad Phoen. 857., et Ἀρχανθώνιον αἶπος, quod sequenti fragmento legimus. Denique Etymol. M. p. 772. 27. Τυφρηστὸς πόλις ἐστὶν ἐν τοῖς ἐσχάτοις τῆς Μαιναλίας. Fort. Θετταλίας.

LXXXV.

Χθιζόν μοι κνώσσοντι παρ' Ἀργανθώνιον αἶπος.

Etymol. M. p. 135. *Ἀργανθών — τινὲς δὲ Ἀργανθώνην αὐτὴν φασιν. Εὐφορίων δὲ καὶ Φιλίας Ἀργανθώνιον λέγουσι διὰ τοῦ τ. οἷον· Χθιζόν μοι κ. τ. λ.* Versus ille utrum Euphorioni an Philetae (sic enim legendum) tribuendus sit, dubitari potest. Philetae tribuit Kayser, quem vide p. 71. Male Toupius ad Suid. I. p. 82. pro *Φιλίας* corrigit *Φιλέας*. De Arganthone vide Toupium l. c. p. 215. et Wernsdorf. ad Himerii Orat. 22. p. 763.

LXXXV.

Ἦ οἱ Εὐάρχοιο φέρε κλέος ἀμφὶ ῥέεθρα.

Etymol. M. p. 388. 48. *Φασὶ δὲ καὶ ποταμόν τινα παρὰ τὴν Σινωπὴν Εὔαρχον ὑπὸ Ἀργοναυτῶν προσηγορεῦσθαι, ἀφ' οὗ πρῶτον ἔπιον, ὥς φησιν Εὐφορίων. Ἦ οἱ κ. τ. λ.* Uti poterat hoc loco Lobeckius ad Phryn. p. 676.

LXXXVI.

Ὄσσους εὐρυκόωσα Τυφάονι κύσσατο Κητώ.

Etymol. M. p. 396. 28. *Εὐρυκόωσα, ἡ μέγα χάσμα ἔχουσα, παρὰ τὸ εὐρὺ καὶ κόον. ἡ μεγάλη καὶ πλατεῖα· κόον γὰρ λέγουσι τὸ μέγα οἱ Λάκωνες. Εὐφορίων Ὄσσους κ. τ. λ.* De *κόος* vide Salmas. ad Simm. Rhod. p. 193. Rectiorem vocis

explicationem servavit Hesychius: *εὐρυκόας, μεγαλόνους, μέγα ἰσχύων.* Quod idem affert: *εὐρυκόωσα, εὐρυνόμος, πολυάστερος Νὺξ,* ex epico poeta ductum est. Comparatio similium nominum, Laocoosa, Hippocoosa, Democoosa aliorumque satis docet, in ejusmodi compositis *κοᾶν* idem fere significasse quod *μέδειν,* quasi dicas *εὐρυμέδουσα, λαομέδουσα* etc. Praeterea dignum est, ad quod attendatur, *ὄσσους κύσσατο* h. e. *ἔτεκε,* quo sensu rarissimum est verbum *κύειν.* Cf. Phrynichus App. Soph. p. 48. et Etymol. M. p. 549. 36.

LXXXVII.

Τῆς οὐδ' αἴθυιαι, οὐδὲ κρυεροὶ καύηκες.

Etymol. M. p. 493. 48. *καύηξ, ὁ γλάρος, διὰ τὸ ἀδηφάγον. καύη γὰρ ἡ τροφή. ἢ ἀπὸ τοῦ λέγειν καῦ καῦ. Εὐφορίων· Τῆς οὐδ' αἴθυιαι οὐδὲ κρυεροὶ καύηρες.* Recte Sylb. *λάρος* pro *γλάρος,* et *καύηκες* pro *καύηρες.* Utrumque habet etiam Zonaras Lex. II. p. 1149. Idem versus est apud Suid. s. v. *κάβηξ* (sic) et Schol. Lycophr. 425. 740. Vide T. Hemst. ad Plut. p. 513.

LXXXVIII.

Οὗτος μὲν Ζωστήρ, Φοίβου πέδον. —

Etymol. M. p. 414. 20. *Ζωστὴρ — καὶ τόπος τῆς Ἀττικῆς. Εὐφορίων· Οὗτος μὲν Ζωστὴρ Φοίβου πέδον. καὶ Ζώστριος* (leg. *Ζωστήριος*) *Ἀπόλλων παρὰ Ἀθηναίοις τιμώμενος. καὶ* (fort. *ὡς* vel

οἷον) ἤδ' ἐπαπηδήσασα Ζωστηρίῳ Ἀπόλλωνι. Postrema verba fortasse ipsa etiam sunt Euphorionis. Versui sua constabit ratio, si scribas:

εἶτ' ἐπαπειλήσας Ζωστηρίῳ Ἀπόλλωνι.

Sed hoc incertum est, Zoster locus in occidentali Atticae littore situs (Schol. Arist. Lys. 809. Herod. VIII. 107.), et antiqua sanctitate conspicuus. Ferebant enim Latonam, Iunonis ira agitatam, post multos viarum errores in Atticam venisse ibique eo loco, cui postea Ζωστῆρος nomen inditum, zonam solvisse, in Delo autem peperisse. Qua de re egregius est Hyperidis locus, quem e Jo. Siceliota MS. edidit Ruhnk. Hist. crit. Orat. p. LXX. λέγεται γὰρ τὴν Λητὼ κύουσαν ἐκ Διὸς ἐλαύνεσθαι κατὰ πᾶσαν γῆν τε καὶ θάλασσαν — ἤδη δὲ αὐτὴν ἡ ὠδὶς κατωλαβοῦσα (nominativus pendens) εἰς τὴν ἡμετέραν χώραν (add. ἐλθοῦσαν) λῦσαι τὴν ζώνην. — ἔπειτα εἰς Δῆλον διαβᾶσαν διδύμους τεκεῖν. Apollinem tamen fuisse qui in Ζωστῆρι natum dicerent, docet Semi Delii locus apud Steph. Byz. s. v. Τεγύρα p. 644. Hyperidis locum paulo aliter scriptum e Schol. Hermog. p. 389. Ald. protulit Heeren ad Menandrum de Encom. p. 42. quem vide. Latonae, Apollinis et Dianae aras in Zostere commemorat Pausan. I. 31. Etiam Minervam Athenienses sub Ζωστείρας nomine coluisse colligas e Grammatico Seguer. I. p. 261. Ζωστὴρ Ἀπόλλων τιμᾶται παρ' Ἀθηναίοις. καὶ

τόπος, ἔνθα Λητὼ ἐλύσατο τὴν ζώνην καὶ Ἀθηνᾶ ζωστῆρα. Lege τὴν ζώνην· καὶ Ἀθηνᾶ Ζώστειρα. Ne Minervam pro Diana errore commemoratam suspicemur, prohibet idem ille Pausaniae locus, Minervae quoque aram in pago isto fuisse testatus. Adde quod etiam Boeotios Minervae Ζωστείρας sacra coluisse constat ex Hesychio: Ζώστειρα Ἀθηνᾶς ἐπίθετον ἐν Βοιωτίᾳ. ubi non erat quod Alberti Σώτειρα reponi vellet.

LXXXIX.

— — — Τό ῥά οἱ δάνος ὤπασεν Ἕκτωρ.

Etymol. M. p. 247. 51. δάνειον παρὰ τὸ δάνος, ὃ σημαίνει τὸ δῶρον. Εὐφορίων· τὸ ῥά οἱ δάνος ὤπασεν Ἕκτωρ. Intellige gladium Ajaci ab Hectore datum, de quo cfr. Meursius ad Lycophr. 464. et inprimis Lobeckius ad Sophoclis Ajac. p. 302. Locus fortasse ex Hyacintho desumtus est.

XC.

— — — Πολύτροφα δάκρυα βύνης.

Etymol. M. p. 565. 45. Εὐφορίων δὲ βύνην τὴν θάλασσαν λέγει. οἷον· Πολύτροφα δ. β. τοὺς ἅλας βουλόμενος εἰπεῖν. Etymol. Gudian. βύνη ἡ θάλασσα, καὶ ὄνομα θεᾶς. Nimirum Leucotheam seu Inonem ita vocatam fuisse tradit Etymol. M. p. 217. 14. βύνη ἡ Λευκοθέα ἢ Ἰνώ. οἷον· Βύνης καταλέκτριαι αὐδηέσσης. quae suum in usum con-

vertit Eudocia Jon. p. 238. Cfr. Intpp. Hesychii s. v. βύνη, et Potter. ad Lycophr. 167.

XCI.

— — *Καὶ ὀχθηρῆς Γερανείης.*

Etymol. M. p. 228. *Γεράνεια, ὄρος Μεγάρων. Εὐφορίων καὶ ὀχθηρῆς Γερανείης.* Vid. Stephan. Byz. s. h. v. Tzetzes ad Lycophr. 229. et T. Hemst. ad Lucian. I. p. 307.

XCII.

Ἄστυ κατ' εὐβύριον. — —

Etymol. M. p. 389. *εὐβύριον, τὸ εὔοικον, ὡς φησιν Εὐφορίων. Ἄστυ κατ' εὐβύριον. εἴρηται δὲ ὅτι κατὰ τὴν Βαυρίαν ἢ κατὰ Μεσσαπίους σημαίνει τὴν οἰκίαν, ὡς φησι Κλέων ὁ ἐλεγοποιός·*

Τοῦτο μὲν οὖν ῥέξαντες ἀολλέες ἠγερέθοντο
Βαυριόθεν βριαροὶ γοργοφόνοι νέποδες.

κατ' ἔλλειψιν οὖν τοῦ ᾱ τὸ βαύριον βύριον, καὶ ἐν συνθέσει εὐβύριον. Sunt haec satis obscura. Verba *κατὰ τὴν Βαυρίαν* quid sibi velint, non perspicio. Fortasse scribendum: *εἴρηται δὲ ὅτι τὸ βαυρίον κατὰ Μεσσαπίους σημαίνει τὴν οἰκίαν.* Certe Hesychius: *βυρίον, οἴκημα.* Idem: *βυριόθεν, οἴκοθεν.* ubi vides ipsum illud Cleonis *βαυριόθεν.* Fortasse cognata fuere *βυρίον* sive *βαυρίον* et *βᾶρις.* Steph. Byz. p. 154. Pin. *βᾶρις, ἡ οἰκία, ὡς Ποσείδιππος, καὶ ἡ συνοικία, ὡς Ἔφορος.* Cleon ille ab Etymologo commemoratus

num idem sit, qui Argonautica scripsisse perhibetur, patria Curiensis, pro certo non affirmaverim. Certe Alexandrinae aetati eum adscribendum esse, dubitare nos non sinit usus vocum glossematicarum *βαυριόθεν* et *νέποδες*, in quo postremo mirum est quantopere sibi placuerint poetae Alexandrini et qui horum vestigiis insisterent.

XCIII.

— — *Μυσοῖο παρ' ὕδασιν Ἀσκανίοιο.*

Strabo Lib. XIV. p. 734. *ἐξ ἧς* (Ascaniam dicit in Mysia) *καὶ τὸν Ἀσκάνιον ποταμὸν ῥεῖν, οὗ μνημονεύει καὶ Εὐφορίων· Μυσοῖο παρ' ὕδασιν Ἀσκανίοιο. καὶ ὁ Αἰτωλὸς Ἀλέξανδρος.* Eadem iterum apposuit Strabo XII. p. 172.

XCIV.

— — — *Καὶ ἀτρέα δῆμον Ἀθηνέων.*

Hermogenes de Ideis p. 333. *Εὐφορίων· Καὶ ἀτρία δῆμον Ἀθηνῶν. ἀντὶ τοῦ ἄτρεστον.* MS. *Ἀθηναίων*, quod recte emendavit Blomfield ad Aeschyli Prom. p. 206. Ita in Callimachi fragmento e Schol. Vict. apud Heynium ad Iliad. Vol. VII. p. 785. *κρηνέων* legendum pro *κρηναίων*. Usus est nostro loco Salmasius ad Inscript. Triop. p. 66. bene comparans *Δία ἕκτορα* Sapphonis, *ἕκτορα κεκρύφαλον* Leonidae Tarentini, et alia aliorum, quibus adde *διομήδης ἀνὴρ* de Achille di-

ctum in Epigr. adesp. 620. Br., quod vereor ut recte explicaverit Eustathius apud Jacobsium. Ejusdem generis sunt *πάρθενος μένανδρος*, de quo vide Fragm. CXL., *Ζεὺς ἀρίσταρχος* apud Simonidem Athenaei III. p. 99., *Ἀγησίλαος* de Plutone; quod illustravit Bentl. ad Callim. Lav. Pall. 130., *Ἄρτεμις Τηλέμαχος*, quod ridet Lucianus Lexiph. T. II. p. 335.

XCV.

— — — *Ζεφύρου μέγα ποιφύξαντος.*

Schol. Nicandri Ther. 179. *τὸ δὲ ποιφύζειν πολλαχῶς λέγεται· καί ποτε μὲν ἐπὶ τοῦ ἐκφοβεῖν, ὡς Σώφρων ἐν τοῖς Μίμοις· Παιδικὰ ποιφύξεις· ποτὲ δε ἐπὶ τοῦ πνεῖν, ὡς Εὐφορίων· Ζεφ. μ. π.* Sophronis locus est etiam apud Athen. VII. p. 324. e. ubi vide intpp. Neutrali significatione verbo *ποιφύζειν* usa est etiam Anyte in Anthol. Palat. Tom. I. p. 368. ubi quarto versu legendum videtur: *κεῖμαι δὲ κρανεὰν τάνδε παρ' ἠϊόνα.* Active, ut Sophron, eo usus est Lycophron Cass. 298. cfr. Eustath. p. 160. 53. ed. Rom. et Intpp. Hesychii s. h. v.

XCVI.

Ἀλεξίκακον φύε ῥάμνον.

Schol. Nicandri Ther. 861. *τὴν δὲ ῥάμνον ἀλεξιάρην φησί — μέμνηται τῆς βοτάνης καὶ Εὐφορίων. Ἀλεξίκακον φ. ῥ.* De *ῥάμνῳ* vid. Schreber ad Theocr. XXII, 36.

XCVII.

Θιμβρήν τε Σεμίραμιν.

Schol. Nicandri Ther. 35. *θιμβρὴν τὴν θερμὴν καὶ ὀξεῖαν — Εὐφορίων· Θιμβρήν τε Σεμίραμιν.* Non minus proba est forma *θιβρός*, qua usus est Nicander Alex. 568. Vid. Intpp. Hesychii p. 1718. cll. Salmasio ad Vett. Inscr. p. 87. Eadem varietas est in scriptura nominis proprii *Θίμβρων* et *Θίβρων*.

XCIX.

Ἐν δὲ πόποις ἔσσαντο.

Apollonius Lex. Hom. p. 560. Toll. *πόποι ἐπιφώνημα σχετλιαστικόν· τινὲς δὲ ἔδοξαν* (fort. *ἐδέξαντο*)· *ὦ θεοί. ὁ γοῦν Εὐφορίων φησίν Ἐν δὲ πόποις ἔσσαντο. τινὲς δὲ τοῦτο βοηθοῦντες* (?) *φασι συναλοιφὴν εἶναι ἐν δὲ ἐπόποις, ἀντὶ τοῦ ἐπόπτας.* Dryopum faisse *λέξιν* testantur Plutarch. de Aud. Poet. p. 22. c. Schol. min. ad Odyss. I. 52. alii. Scythas subterranea deorum signa appellasse *πόπους* referunt Etymol. M. s. v. *ὦ πόποι* et Grammaticus Bekkeri Anecd. III. p. 1433. cll. Albertio ad Hesychium s. v. *πόποι*. Apud Tragicos si quando occurrit *ὦ πόποι*, non sunt intelligendi dii; neque apud Homerum. Alia Euphorionis et omnino Alexandrinorum poetarum ratio rarissima quaeque et obscurissima avide aucupantium.

C.

Οὐ γὰρ Ἀλήσιοί ἐστε. —

Stephanus Byzant. s. v. *Ἀλήσιος* p. 62. Pin. *Ἔστι καὶ Ἀλήσιον πεδίον τῆς Ἠπείρου, ἵνα πήγνυται πολὺ ἅλας. ὁ δὲ Εὐφορίων Οὐ γὰρ Ἀλήσιοί ἐστε.*

CI.

Οἷόν τ' εἰαμενῆς ὑποκύδεος. —

Harpocr. p. 557. *ὑποκύδης ἐστὶν ὁ δίυγρος, ὡς ἐκ τῆς τρίτης Κτησίου φανερόν ἐστιν. Εὐφορίων Οἷόν τ' εἰαμενῆς ὑποκύδεες.* Recte *ὑποκύδεος* corrigunt Schneid. Lex. Gr. s. h. v. et Ruhnk. Auct. Hesych. ad p. 1472.

CII.

Οὐδέ τοι εὔωροι θυέων. —

Zonaras Lex. p. 905. *εὔωροι, ἀπαραφύλακτοι. Εὐφορίων Οὐδέ τε εὔωροι θυέων.* Etymol. M. p. 401. 59. *οὐδέ τοι.* Cfr. Suid. s. h. v.

CIII.

Ἀτάρμυκτον τρέπεν ὄμμα.

Etymol. M. p. 162. *ἀτάρμυκτον, τὸ ἄφοβον. κυρίως δὲ τὸ μὴ μύον. Εὐφορίων Ἀτ. τρ. ὄμμα.* Eadem habent Suidas s. h. v. et Zonaras p. 536.

CIV.

Ἀπόπρο δὲ Βέβρυκα πύκτην.

Choeroboscus apud Bekker. Anecd. Gr. III. p. 1553. *τὸ Βέβρυξ — καὶ συνεσταλμένον, οἷον· Οὐδ' ἄρα Βέβρυκες ἄνδρες ἀκήδησαν βασιλῆος, καὶ παρ' Εὐφορίωνι· Ἀπόπρο δὲ Βέβρυκα πύκτην.* Amycum dicit.

CV.

Strabo Lib. VIII. p. 186. Lips. *Εὐφορίων δὲ καὶ τὸν ἥλιον λέγει ἦλ. παρὰ Φιλητᾷ δὲ· Δμωΐδες εἰς ταλαρούς λευκὸν ἄγουσιν ἔρι.* Philetae versum neglexit Kayser. Ad Euphorionis locum respexit Eustath. ad Iliad. 2. p. 217. 6. indeclinabile esse docens *κρῖ* pro *κρίμνον*, *δῶ* pro *δῶμα*, *ἦλ* pro *ἥλος*. Idem p. 295. 2. *ὁ δὲ γεωγράφος ἐκτίθεται καινότερα ἕτερα ἐν οἷς καὶ ὅτι ὁ ἥλος ἦλ.* Idem ad Iliad. 5. p. 566. 35. *ἰστέον δὲ ὅτι τοῦ γεωγράφου ἱστοροῦντος καινήν τινα ἀποκοπὴν τοῦ ἥλος ἦλ, οἷον δαιμόνιος ἦλ,* ex quo manifestum est, Eustathium integriore Strabonis exemplari usum esse. Denique Apollonius de Pronom. p. 372. A. *καὶ ἀπὸ τοῦ δῶμα δῶ, ἥλος ἦλ.* Igitur Strabo, Apollonius et Eustathius in eo omnes consentiunt, Euphorionem *ἦλ* dixisse pro *ἥλος*. Aliam vero lectionem et explicationem praebet Epitome Strab. p. 119. *Εὐφορίων τὸν ἥλιον λέγει ἦλ*, cui favet Buttmannus Grammat. maj. I. p. 219. laudato Servio ad Virg. Aen. I. 696. *Solem colunt* (Assyrii) *qui ipsorum lingua Hel* (alii El) *dicitur; et ἥλιος. Ergo addito digammo, et in fine facta derivatione a Sole regi* (Bele) *no-*

men imposuit. Ἦλ Assyriorum idem sine controversia qui Βῆλ vel Βῆλος Babyloniis. Vid. Ruhnken. Auct. Hesych. ad I. p. 723. cll. D' Orvillio ad Charit. p. 511. Lips. et Seldeno de diis Syr. II. 1. p. 229. Equidem, inprimis propter Apollonii auctoritatem, alteram explicationem, qua ἦλ pro ἦλος ab Euphorione dictum sit, praeferre non dubito. Similia sunt praeter ea, quae jam commemoravimus, ἄλφι quod primum omnium Epicharmum usurpasse testatur Grammat. Seguer. I. p. 381. immemor Hymni Homerici in Cerer. 208. Grammat. Seguer. I. p. 381., φῦν pro φύναι, de quo Buttmannus Museo Antiqu. Stud. I. p. 248., πῖν pro πίνειν Anthol. Gr. II. p. 323. Br. Cf. Meursius ad Lycophr. 593. et Victorius Var. Lect. I, 9.

CVI.

Eustath. ad Iliad. 2. p. 235. ὀστέμβειν δηλοῖ οὐ μόνον τὸ ὑβρίζειν ἀλλὰ καὶ τὸ συνεχῶς κινεῖν· ὅθεν καὶ ἀστέμβακτα παρὰ Λυκόφρονι. λέγει δὲ καὶ Εὐφορίων· Κλέος ἀστέμβακτον. Lycophronis locus est Alex. 1117., ubi vulgo ἀστένακτα. Vatic. ἀστέμβακτα, ut praeter Eustathium, legerunt etiam Etymol. M. p. 158. 39. et Zonaras Lex. p. 520. Muellerus Etymologi locum festinantius inspexit.

CVII.

Eustath. ad Odyss. 1. p. 1397. ὁ τὰ περὶ ἑλληνικῆς παιδιᾶς γράψας διαφορὰν καὶ αὐτὸς εἰδὼς

κύβων καὶ πεσσῶν — παλαιοτάτην εἰπὼν τὴν κυβευτικὴν παιδιάν, παράγει Σοφοκλέους μὲν ἐκ Παλαμήδους τό· Οὗτος ἐφεῦρε Πεσσοὺς κύβους τε τερπνὸν ἀρχίας ἄπος, καὶ Εὐφορίωνος τό· Πέσσα Ναυπλιάδαο. Sophoclis locum pleniorem exhibet Eustath. p. 228. Eum Brunckius p. 634. in Nauplii fragmentis posuit cum alio loco apud Achill. Tat. servato conjunctum, cujus priores versus correxit Salmasius de Usur. p. 430. cfr. Scaliger ad Manil. p. 228. Quod ad Nauplium eos versus retulit, id dubitari potest, an recte fecerit Brunckius. Palamedis argumentum etsi ignoramus, nil tamen prohibet, ne Nauplii quoque partes in eo fuisse credamus. Is enim, audita filii nece, in castra Graecorum venisse dicitur, ubi si versus illos ab eo pronunciatos fuisse statuas, omnia bene conspirant. Celeritatem itineris nemo objiciet.

CVIII.

Schol. min. ad Odyss. V. 121. τούτου (Orionis) ἐρασθεῖσα ἡ Ἡμέρα ἥρπασεν ἀπὸ Τανάγρας εἰς Δῆλον, ἔνθα τὴν ἀμαλλοφόρον Οὖπιν ἰδὼν ἤθελε βιάσασθαι. ἐφ' ᾧ ὀργισθεῖσα ἡ θεὸς ἀναιρεῖ αὐτόν, ὡς Εὐφορίων δηλοῖ. Eadem fere habet Schol. Venet. ad Iliad. VI. 486. Aliorum loca, in quibus eadem narrantur, collegit Creuzer Melet. I. p. 54. a Buttmanno laudatus.

CIX.

Helladius Chrest. in Thes. Gron. Vol. X. p. 970. A. τὸ ζητεῖν οἱ Δωριεῖς μῶδθαι (ita Kusterus ad Suid. II. p. 582. pro μῶ). καὶ μῶται τὸ τρίτον πρόσωπον παρ' Ἐπιχάρμῳ, καὶ μῶνται παρ' Εὐθυφρόνῃ (recte Meursius Εὐφορίωνι) καὶ μώμεναι (leg. μωμένη) ἡ μετοχὴ παρὰ Σοφοκλεῖ. Respicit, ni fallor, Trach. 1138. ubi ante Heathium μνωμένη. Eodem verbo usus est Epicharmus apud Xenoph. Memor. II. 1. 20. μὴ μοι τὰ μαλακὰ μώεο, μὴ τὰ σκλήρ' ἔγης. Bion Hyacinth. apud Stobaeum Ecl. Tom. I. 170. Ἀίζετο φάρμακα πάντα σοφὰν δ' ἐπεβώετο τέχναν. Recte Salm. ἐπεμώετο. Rarioris usus est activa forma μῶ, cujus exemplum praebet Epicharmus apud Etymol. M. p. 589. 42. Πύῤῥον γε μῶ καὶ Δευκαλίωνα.

CX.

Helladius Chrest. p. 971. b. ὁ Εὐφορίων ἱστορεῖ τινὰ ἐνύπνια μηδέπου ἑωρακέναι. Inepte Meursius: *refert quaedam somnia alicubi non videri.* Legendum videtur μηδέποτε vel μηδέπω, hoc sensu: *nescio quem unquam somniasse.*

CXI.

Helladius Chrest. p. 967. a. Παρὰ Εὐφορίωνι — κακοζήλους ἐστὶν εὑρεῖν γλώσσας. καὶ γὰρ τὸν Ἰάσονα ναυαγὸν εἶπεν, ὅπερ οὐ ναυαγηκότα μᾶλλον (?), τὸν δὲ ναῦν ἄγοντα δηλοῖ. καὶ τὸν

τὰ χρυσᾶ μῆλα τῶν Ἑσπερίδων φορούντα (leg. φρουρούντα) ὄφιν κηπουρὸν ὠνόμασε. παρεζήλωσε δὲ τὸν πρῶτον Διονύσιον, τὸν Σικελίας τύραννον. Cfr. Fragm. CXL. Quod ναυαγόν non de *naufrago*, sed *navis ductore* dixit Euphorion, in eo sequutus est, si Suidae fides, vulgarem loquendi consuetudinem. Sic enim ille Tom. II. p. 599. ναυηγός· ὁ τῆς νεὼς ἀρχηγός. τοῦτο δὲ κοινῶς. ἡ δὲ ποίησις καὶ τὸν ναυαγήσαντα οὕτω γράφει. Quamquam mirum est, cum Suidas dicat τοῦτο δὲ κοινῶς, nullum ejus significationis exemplum apud alios scriptores reperiri; nec minus mirum quod addit ἡ δὲ ποίησις καὶ etc., quasi non omnes omnino scriptores eam voci ναυαγός vim tribuerint, qua naufragum significat. Rem tetigit etiam Alberti ad Hesych. II. p. 599. et Naske ad Choeril. p. 166. In Philemonis versu apud Stobaeum Serm. XXX. p. 208.

Οὔτε γὰρ ναυαγός, ἂν μὴ γῆς λάβῃται φερόμενος —

male Gesnerus ναυαγόν de *nauta*, interpretatus est; recte Grotius, ut sensus loci postulat, vertit *naufragus*. Illud autem memorabile, quod addit Helladius, in illa novandarum significationum licentia Euphorionem aemulatum esse exemplum Dionysii majoris, ex cujus tragoediis, ut opinor, exempla posuit haec: βαλάντιον sive βαλλάντιον pro ἀκόντιον, κάδος pro ἐλκύδριον, σκέπαρνον pro ἔριον, χλαῖνα pro ἐριωλή, et p. 696. A. θυί-

σνης sive potius θυέστης pro δοίδυξ. Similia purpurati poetae deliramenta apposuit Athenaeus loco admodum memorabili Lib. III. p. 98. d., ubi novorum vocabulorum architecti multis parasangis superare dicuntur ipsum Dionysium, quamvis ille virginem dixerit μένανδρον, columnam μυνεκρώτην, jaculum βαλλάντιον, murium latibula μυοτήρια (cfr. Jambl. ap. Phot. Bibl. p. 240.), bovem βαρύταν, porcum denique ἴακχον. Hinc sane non mirandum est, absurda et inconcinna tyranni carmina censuisse Philoxenum. Nec magis honorifice de Dionysii tragoediis sentiebat is, qui eum in pangendis carminibus adjuvisse dicitur, Antiphon, vid. Philostr. Vit. Soph. I. p. 499. et Plutarch. Vit. Orat. p. 833. c. Eodem spectat Melanthii dictum, qui interrogatus, quid de Dionysii quadam tragoedia sentiret, se eam vidisse negabat, quippe verborum tenebris obfuscatam. Plutarch. de Aud. Poet. p. 41. C. ex emendatione Xylandri. Tanta igitur obscuritate cum laborarent inepti hominis tragoediae, non mirum est, eas aut nunquam aut raro in scena fuisse exhibitas. Themist. Orat. IX. p. 126. ἐνέπλησε δραμάτων Σικελίαν μᾶλλον ἢ τὴν σκηνήν. Adfectatum dicendi genus satis ostendit etiam fragmentum ex ejus tragoedia *Adonis* inscripta apud Athen. IX. p. 401. Tragoediam dixi Adonin, non comoediam, ut censuit Casaub. ad Athen. IX. p. 404. e.; neque enim verum existimo, quod Suidas ait, etiam comoediis scribendis Dio-

nysium operam dedisse. Eadem Elmsleji fuisse videtur sententia, quem vide ad Euripidis Med. p. 73. sq. Paeanas eundem composuisse constat ex Athen. VI. p. 250. b. c. Denique aliquot ejus fragmenta servavit Lucian. adv. Ind. Vol. III. p. 113. Amst.

CXII.

Hesychius: ἄλλιξ. χιτὼν χειρίδωτος. Εὐφορίων. Thessalam vocem dicit Etymol. M. p. 68. 33., ubi exponitur per χλαμύς, citato Callimachi versu:

ἄλλικα χρυσείῃσιν ἐεργομένην ἐνέτῃσιν.

Cfr. Suidas s. h. v. et Spanhem. ad Callim. in Apoll. 32.

CXIII.

Hesychius: ἄνταρ, αἰετὸς ὑπὸ Τυῤῥηνῶν. Εὐφορίων δὲ δίασμα.

CXIV.

Stephanus Byzant. s. v. Δαφνοῦς p. 226. Δαφνοῦς, Φωκικὴ πόλις, ἀρσένως λεγομένη. — Δαφνοῦσσαν δὲ αὐτὴν φησιν Εὐφορίων.

CXV.

Stephanus Byzant. s. v. Ἄλπωνος p. 66. Ἄλπωνες, πόλις καὶ ὄρος ἐν Μακεδονίᾳ, ὡς Εὐφορίων.

CXVI.

Stephanus Byzant. s. v. *Αἴγυς* p. 38. *Αἴγυς, πόλις Λακωνική, ὡς Εὐφορίων.*

CXVII.

Stephanus Byzant. s. v. *Νάξος* p. 483. *Νάξος. νῆσος τῶν Κυκλάδων διάσημος, ἀπὸ τοῦ Νάξου Καρῶν ἡγεμόνος. ἄλλοι δὲ ἀπὸ Νάξου τοῦ Ἐνδυμίωνος. Εὐφορίων.* Apud Schol. Apoll. Rh. IV. 1492. Naxus dicitur Acacallidis et Apollinis filius, teste Alexandro primo libro *Κρητικῶν*, sive potius *Καρικῶν*.

CXVIII.

Stephan. Byzant. s. v. *Τρικόρυθον* p. 665. *οὐδετέρως Δίδυμος καὶ Διόδωρος, Διονύσιος ἀρσενικῶς, Εὐφορίων θηλυκῶς. ἔστι δὲ δῆμος τῆς Αἰαντίδος φυλῆς.* Vid. Meursius de Popul. Att. s. h. v.

CXIX.

Stephanus Byzant. s. v. *Νέδη* p. 488. *Νέδη πόλις Ἀρκαδίας ἀπὸ Νύμφης Νέδης. Εὐφορίων δὲ Νεδέην καὶ αὐτός φησι.* Recte Pinedo corrigit *ποταμὸς Ἀρκαδίας*. Eadem medicina Suidae adhibenda s. v. *Νέδη*. Nihil harum vocum permutatione frequentius. Vid. Schaefer ad Schol. Apoll. Rh. p. 323. De Neda Arcadiae fluvio et Nympha Jovis nutrice vide Callimach. Jov. 33. 38. cll. Hermanno de Musis Fluvial. p. 9. Pro *Νεδέην* fortasse *Νεδαίην*.

CXX.

50. Lydus de Mens. II. p. 124. *Περὶ τοῦ Δουρίου ἵππου ὁ Εὐφορίων φησί, πλοῖον γενέσθαι τοῖς Ἕλλησιν ἵππον λεγόμενον.* Cf. Meursius ad Lycophr. 342.

CXXI.

Athenaeus. Lib. II. p. 44. F. *Εὐφορίων δὲ ὁ Χαλκιδεὺς οὕτω που γράφει· Λασύρτας Λασιώνιος οὐδὲ προσεδεῖτο ποτοῦ, καθάπερ οἱ ἄλλοι, οὖρον δὲ προίετο, καθάπερ πάντες ἄνθρωποι. καὶ πολλοὶ διὰ φιλοτιμίαν ἐπεχείρησαν παρατηρῆσαι· καὶ ἀπέστησαν πρὸ τοῦ εὑρεῖν τὸ πραττόμενον. θέρους γὰρ ὥρα καὶ τριακονθήμερον προσεδρεύοντες καὶ οὐδενὸς μὲν ὁρῶντες ἀπεχόμενον ἅλμυροῦ, τὴν κύστιν δ' αὐτοῦ ἔχοντα, συνεπείσθησαν ἀληθεύειν, ἐχρῆτο δὲ καὶ τῷ ποτῷ, ἀλλ' οὐδὲν ἧττον οὐ προσεδεῖτο τούτου.* Vitium in verbis *τὴν κύστιν — ἔχοντα* senserunt omnes, tollere nullus valuit.

CXXII.

Aelian. H. A. VII. 43. *Ἴδιον δὴ τῶν ζώων καὶ ἡ μνήμη. καὶ συνῳδὸν δὲ τοῖς προειρημένοις καὶ ἐς τὸ αὐτὸ δ' ἔστιν εὔδοντος ἐν τῇ Σάμῳ, ἐπὶ τοῦ κεχηνότος Διονύσου νομίζοιτο ἂν καὶ τὸ φωλιὸν εἶναι. καὶ τοῦτο ἀκουέτω Ἐρατοσθένους τε καὶ Εὐφορίωνος καὶ ἄλλων περιηγουμένων αὐτό.* Locus plane conclamatus. Quid dicere voluerit auctor, satis apparet; verba ipsa sine librorum ope frustra sit qui restitui posse putet. Recte

Schneiderus monuit respici fabulam a Plinio H. N. VIII. 16. narratam: *Elpis Samius natione in Africam delatus nave juxta littus conspecto leone hiatu minaci arborem fuga petit, Libero patre invocato: os morsu avidiore inhaserat dentibus: degressus tandem evellit praebenti et quam maxime opus esset, accommodanti. Traduntque, quamdiu navis ea in littore steterit, retulisse gratiam venatus aggerendo. Qua de causa Libero patri templum in Samo Elpis sacravit, quod ab eo facto Graeci κεχηνότος Διονύσου appellavere.* Ut Samii hiantem Dionysum, ita alios Graecos κεχηνότα Ἀπόλλωνα coluisse docet Clemens Alex. Protr. p. 11. Sylb.

CXXIII.

Clemens Alex. Protr. p. 11. Sylb. πρόβατον, ὥς φησιν Εὐφορίων, σέβουσι Σάμιοι. Aelianus H. A. XII. 40. τιμῶσι δὲ ἄρα Δελφοὶ μὲν λύκον, Σάμιοι δὲ πρόβατον. Causam cultus Aelianus ex Aristotele addit hanc, quod ovis sacros thesauros furto subductos indagaverit: καὶ ἐντεῦθεν Μανδράβουλος ὁ Σάμιος τῇ Ἥρᾳ πρόβατον ἀνάθημα ἀνῆψε.

CXXIV.

Diogenes Laert. III. 37. Εὐφορίων δὲ καὶ Παναίτιος εἰρήκασι πολλάκις ἐστραμμένην εὑρῆσθαι

τὴν ἀρχὴν τῆς πολιτείας (Platonis). Vid. Astius de Vita et scriptis Platonis p. 54.

CXXV.

Schol. Lycophr. 266. Στησίχορος γὰρ καὶ Εὐφορίων καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς οἱ ποιηταί φασι τὸν Ἕκτορα εἶναι Ἀπόλλωνος υἱόν. Schol. Venet. ad Iliad. γ. 134. Πορφύριός φησιν ὅτι τὸν Ἕκτορα Ἀπόλλωνος υἱὸν παραδίδωσιν Ἴβυκος, Ἀλέξανδρος, Εὐφορίων καὶ Λυκόφρων.

CXXVI.

Schol. Lycophr. 658. Στησίχορός φησιν, Ὀδυσσέα ἐπὶ τῆς ἀσπίδος φέρειν δελφῖνος τύπον. Καὶ Εὐφορίων ὁμοίως τούτῳ συμφθέγγεται. Plutarch. de Terrestr. et Aquat. p. 985. b. ἡ δὲ Ὀδυσσέως ἀσπὶς ὅτι μὲν ἐπίσημον εἶχε δελφῖνα καὶ Στησίχορος ἱστόρηκε.

CXXVII.

Schol. Aeschyli Pers. 659. βαλήν, ὁ βασιλεὺς λέγεται. Εὐφορίων δέ φησι Θουρίων εἶναι τὴν διάλεκτον. Vid. Valesii Dissert. crit. ad Harpocr. p. 391. a.

CXXVIII.

Schol. ined. apud Valck. Diss. de Schol. in Hom. p. 128. ed. Lips. χαμαιεῦναι δὲ οἱ ἐπὶ τοῦ ἐδάφους κοιμώμενοι λέγονται παρὰ Εὐφορίωνι.

CXXIX.

Schol. Venet. ad Iliad. 2. 496. [καὶ Αὐλίδα] ὡς ἀπὸ ὀξυτόνου εὐθείας ἡ ἀνάγνωσις, καὶ εἰ μέντοι παρὰ τῷ Εὐφορίωνι· Αὐλίν τ' ἔσφαγον, αἰτιατικὴ ἀπὸ εὐθείας βαρυνομένης γέγονεν. Probabiliter Heynius Vol. III. p. 293. corrigit Αὐλιν ἐρισφάραγον.

CXXX.

Schol. Venet. ad Iliad. 2. 157. Jovem Αἰγίοχον dici, ὥς τινές φασι, διὰ τὸ αἶγα ἀνελόντα τὴν μὲν δορὰν ἀμφιέσασθαι, τοῖς δὲ κέρασιν εἰς τόξον χρήσασθαι. ὅθεν καὶ Αἰγίδυκον τόπον τινὰ ἐν Κρήτῃ καλεῖσθαι ἱστορεῖ Εὐφορίων.

CXXXI.

Schol. Venet. ad Iliad. 4. 212. ἡ ἱστορία (de Meleagro) παρὰ Εὐφορίωνι.

CXXXII.

Schol. Venet. ad. Iliad. 13. 21. Αἰγαὶ δὲ πόλις Ἀχαΐας, ἔνθα τιμᾶται μὲν ὁ Ποσειδῶν, ἄγεται δὲ καὶ Διονύσια, ἐν ᾗ ἐπειδὰν ὁ χόρος συστὰς τὰς τοῦ δαίμονος τελετὰς ὀργιάζῃ, θαυμάσιον ἐπιτελεῖσθαί φασιν ἔργον· ἄμπελοι γάρ, ἃς καλοῦσιν ἐφημέρους, ἀνισχούσης μὲν ἡμέρας καρπὸν βλαστάνουσιν, ὥστε τρέποντας αὐτοὺς εἰς ἑσπέραν οἶνον

ἄφθονον ἔχειν. ἡ ἱστορία παρὰ Εὐφορίωνι. Divinam hanc et prodigiosam vitem non apud Aegas Achaicas sed Euboicas commemorat Sophocles Thyeste p. 619. Br. cfr. Schol. Sophocl. Antig. 1126. Stephan. Byz. s. v. Νῦσαι p. 500. et Valcken. ad Euripidis Phoen. p. 40.

CXXXIII.

Schol. Venet. ad Iliad. 9. 206. αὐτὰρ ὅγε κρεῖον μέγα κάββαλε. Ἡ διπλῆ, ὅτι Εὐφορίων κρεῖον τὸ κρέας ἐξεδέξατο. Ὅμηρος δὲ κρεωδόχον ἀγγεῖον. Etymol. M. p. 536. 58. ἰστέον ὅτι ἡ μὲν κοινὴ δόξα ἔχει, ὅτι τὸ κρεῖον κρεωδόχον ἀγγεῖον σημαίνει. ὁ δὲ Εὐφορίων τὸ κρέας λέγει. Tetigit haec Tib. Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. 71. κρεῖον, inquit, *sapiendum foret pro ipsa carne, an pro lebete, veteres dubitarunt.* Non satis recte dixit veteres, cum unus omnium Euphorio pro sua novandi libidine κρεῖον de ipsa carne alicubi usurpaverit.

CXXXIV.

Schol. Venet. ad Iliad. 14. 295. Ἥραν τρεφομένην παρὰ τοῖς γονεῦσιν εἷς τῶν Γιγάντων Εὐρυμέδων βιασάμενος ἔγκυον ἐποίησεν. ἡ δὲ Προμηθέα ἐγέννησεν. Ζεὺς δὲ ὕστερον γήμας τὴν ἀδελφὴν καὶ γνοὺς τὰ γενόμενα, τὸν μὲν Εὐρυμέδοντα κατεταρτάρωσεν, τὸν δὲ Προμηθέα, προφάσει τοῦ πυρός, δεσμοῖς ἀνήρτησεν. ἡ ἱστορία παρὰ Εὐφορίωνι. Novo iterum exemplo videmus,

quantum sibi Euphorio etiam in fabulis immutandis et interpolandis licentiae sumserit. Cf. Potter ad Lycophr. 1283. et T. Hemst. ad Luc. I. p. 250.

CXXXV.

Schol. Venet. ad Iliad. 24. 602. *Νιόβη θυγάτηρ μὲν ἦν Ταντάλου, γυνὴ δὲ Ἀμφίονος, γαμηθεῖσα δὲ τῷ Ἀμφίονι παῖδας ἔσχε δέκα δύο· ἐπαρθεῖσα δὲ τῷ πλήθει τῶν παιδῶν καὶ τῇ καλλόνῃ ὠνείδιζε τῇ Λητοῖ ὅτι δύο μόνους ἐγέννησεν Ἀπόλλωνα καὶ Ἄρτεμιν, καὶ ὅτι εὐτεκνωτέρα αὐτῆς ἐστιν. Ἀγανακτήσασα δὲ ἡ θεὸς ἔπεμψεν υἱούς* (leg. *τοὺς υἱούς* liberos suos) *τοῖς παισὶν αὐτῆς. Καὶ Ἀπόλλων μὲν τοὺς ἄῤῥενας ἀναιρεῖ πυνηγετοῦντας ἐν τῷ Κιθαιρῶνι, Ἄρτεμις δὲ τὰς θηλείας ἐπ' οἴκου οὔσας. θρηνοῦσαν οὖν τὴν Νιόβην τὸ τοιοῦτον δυστύχημα, Ζεὺς ἐλεήσας εἰς λίθον μετέβαλεν, ὃς καὶ μέχρι νῦν ἐν Σιπύλῳ τῆς Φρυγίας ὁρᾶται παρὰ πάντων πηγὰς δακρύων προϊέμενος. ἡ ἱστορία παρὰ Εὐφορίωνι.*

CXXXVI.

Etymol. M. p. 194. 23. *βέθρον. βέρεθρον καὶ συγκοπῇ βέθρον. Κράτης καὶ Εὐφορίων οὕτως.* Similiter *βάθρον* et *βάραθρον*, de quo vid. D'Orville Vann. crit. 490. Cfr. Eustath. ad Homer. p. 381, 20. et 1715, 38. Rom.

CXXXVII.

Etymol. M. p. 472. 44. τὰ διὰ τοῦ ῑος δισύλλαβα διαφόρως ποιούμενα διὰ τοῦ ῑ γράφεται, βίος, βιὸς, Χίος (Κίος), Χίος θριός, μνίος ὁ ὑπαλὸς παρὰ Εὐφορίωνι. Vid. Intpp. Hesychii s. h. v.

CXXXVIII.

Etymol. M. p. 708. 10. Ῥειώνη, τὴν Ἥραν φησὶν Εὐφορίων. Suidas: Ῥειώνην, τὴν Ἥραν. Mirum hujus nominis interpretationem commentus est magnus Winkelm. Hist. Art. VI. 1. 28. et Monum. Ined. I. 5. nro. 2. vertens *corio vestitam*. Imo Ῥειώνη est Ῥέας sive Ῥείας θυγάτηρ. Ita Αἰνειώνη, Οὐρανιώνη, Καδμειώνη et alia. Cfr. Salmas. ad Inscr. Herod. p. 91.

CXXXIX.

Etymol. M. p. 708. 51. Σαρωνίς. Εὐφορίων φησὶν ἐπειδὴ Σάρων τις κυνηγὸς ἐπιδιώκων ἐκεῖθεν κατεκρημνίσθη εἰς θάλασσαν, διὰ τοῦτο Σαρωνικὸν ἐκλήθη τὸ πέλαγος. Alii aliter explicant. V. Wesseling. ad Hier. Itin. p. 600. et Spanhem. ad Callim. in Del. 42.

CXL.

Schol. Dionysii Gramm. ap. Bekk. Anecd. Gr. II. p. 864. ἰδοὺ γὰρ Εὐφορίων ὁ ποιητὴς περὶ ἀρότρου εἶπεν ἐνοσίχθονι, καὶ τὴν ἐλαίαν γλαυκῶπιν. Similia vide Fragm. CXI. Ad γλαυκῶπιν ἐλαίαν cfr. Pind. Ol. III. 13. γλαυκόχροα καρπὸν ἐλαίας.

CXLI.

Grammat. apud Bekk. Anecd. Gr. III. p. 1185. *Ἀφίας Ἀφίαντος παρ' Εὐφορίωνι. ἔστι δὲ ὄνομα κύριον.*

CXLII.

Eudocia Jon. p. 160. *Εὔμαιος, ὁ Ὀδυσσέως δοῦλος, — ἐς τοσοῦτον ἠξιώθη λόγου τοῖς παλαιοῖς, ὥστε καὶ μητέρα αὐτοῦ ἐξευρίσκουσι, Δημόκριτος μὲν Πενίαν, Εὐφορίων δὲ Παγθείαν, Φιλόξενος δὲ Δανάην.* Ex Eustathio ad Odyss. p. 1784. 61. Rom.

CXLIII.

